





COLLECTIO
BENEDICTIONUM

sive apparatus

ABSOLUTIONUM, CONJURATIONUM, EXORCISMORUM, RITUUM ET CAEREMONIARUM ECCLESIASTICARUM, ET ADMINISTRATIONIS SACRAMENTORUM.

continens etiam

Modum introducendi Mulieres in Ecclesiam post puerperium: visitandi et adjuvandi infirmos, et denique sepeliendi mortuos.

OPUS

PAROCHIS ET CURAM ANIMARUM GERENTIBUS PERUTILE ET NECESSARIUM

cordinatum

A. R. P. BERNARDO SANNIG

Ord. S. Franc. Reformatorum.



NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA ANDREÆ FESTA

In Via S. Joannis ad Carbonariam 104

MDCCCXLVII.





REVERENDISSIMIS

PAROCHIS

Admodum Rever. Sacerdotibus, Rever. Clericis tum Secularibus, tum Regularibus

TYPOGRAPHUS S. P. D.*



uod pertinet ad hunc Apparatum, *de quo praefari in animo est, quae alia res potissimum fuit in lucem edenda, quam quae maxime necessaria, et difficillime exposita manibus indigentium tamdiu desiderata est. Cum enim Decretis Ecclesiasticis sapientissime interdictus sit usus quorumdam Libellorum, in quibus de* Ritibus *Sacris minus recte, aut minus caute agebatur, rursum ponderosa* Missalium et Ritualium *volumina passim promenda, et tractanda aegre deferantur: ex iisdem multa strictim colligere, et leviuscula*

* Hic Typographus est ille, qui Bassani hunc librum edidit anno 1816. Ego in suscipienda hujusmodi libri editione utor eisdem verbis. (*And. Festa*)

Adversaria, ac veluti viaticos Commentarios *comparare operae pretium fuisse affirmandum est. Quod admodum R. P. Bernardum Sannig praestitisse tum intellexerit quisque, cum ejus laboribus perfrui instituerit. Nihil enim hic quod ex* Missalibus, Breviariis, Ritualibus ad Benedictionum, Rituumque Sacrorum *varia genera pertinet, et ex tempore opus esse potest (nisi mea me fallit observatio), jam contigerit, ut desideretur. Neque solum ad eorum usum compactus est Codex, qui commune* Romanum *vel* Missale, *vel* Rituale *adhibent, sed etiam iis provisum est, qui legitimis Sanctae Catholicae Romanae Ecclesiae Privilegiis muniti singularia habent* Missalia, Ritualia, et Breviaria. *Ut denique ad plurima utile opus existeret, diligentissime* Collector *addidit etiam* Formulas *quasdam ex optimis Scriptoribus, praecipue Sanctitate illustribus, decerptas, quae pertineant ad* Benedictiones, ad Exorcismos, et Conjurationes, ad Hortationes *simul suaves et validas eorum, qui morbis afflicti, vel cum morte colluctantes Parochorum ex Officio, vel Sacerdotum ex Charitate, ope, et solatio tum maxime indigent; ad alia tandem multa, per quae vel tyrones, vel imperiti, vel immemores in Sacros Ritus,*

quasi manu ducantur. Quemadmodum enim fere omnes libri ascetici, praeter institutiones pro re spirituali, etiam precationes quasdam, quas vocant Jaculatorias, tamquam exemplares appendices annectunt: ita etiam noster Compilator pro parochiali, Sacerdotali, *atque etiam* Clericali *ministerio, non modo publice, sed etiam privatim exercendo, bene multa innuit, ex quibus veluti ex seminibus uberrimi fructus colligi possunt. Quinimo si quando contingat, quod non timuerim, ut huic ita proprius, et singularis pro re nata* Ritus Benedictionis *desit, generales etiam in universam rem Formulas invenies designatas. Cum enim notum sit* Benedictionum *plura esse genera,* Constitutivas *scilicet, ut Sacrae Supellectilis,* Conservativas, *ut Alimentorum,* Curativas, *ut Morborum, sive naturalium, sive prealernaturalium,* Praeservativas, *ut infectorum insectilium, et aerearum calamitatum, quas* Benedictiones *vulgus ignarum vocat* Maledictiones: *denique si quae aliae* Benedictiones *sunt, ita omnes huic aliae alias subsequuntur, ut ad omnem usum, si non pro infinitis rebus singillatim, certe in genere ad nutum habeantur.*

Non est vero abs re per transennam advertere eumdem librum a suis Sacerdotibus

simul et Clericis offerri. Si enim ad illos hunc pertinere nemo inficiatur; his etiam usui fore quisque fatebitur, qui apud Illustrissimum Episcopum Sarnelli *in Epistolis Ecclesiasticis legerit, Tomo VI. Ep. XVI, etiam Clericis* Benedicendi auctoritatem competere, si quidem nedum Exorcistatu, *sed solo etiam Lectoratu initiati sint.*

Jam quanta sit sacrarum Benedictionum *utilitas, et necessitas; et quam saepe contigerit, ut hoc* Ritu *omisso etiam in prandiis, et cœnis, atque adeo in comestionibus subinde casu oblatis, non pauci cum cibis spirituales nequitias ubique ad insidiandum latitantes deglutierint, non est meum narrare; et de his* Martinus del Rio *in Disquisitionibus Magicis*, Sarnellus, *qui supra, aliique passim sunt consulendi.*

Haec de Auctoribus, de Materia, Fine, et de iis, *ad quos spectat usus hujus* libri, *dicta sunt.* De formâ *vero diu immorandum non censeo. Quae enim ratio facilior, et magis obvia, quam si praeter* Indicem Alphabeticum *etiam universam Materiam in suas classes distributam*, ordine *fere* Alphabetico, *paucis intermissis, digeras, et disponas? Id vero aperto Codice statim, benevole Lector, recognosces.*

Habes Caussas *institutae hjus editionis* * , *Amice Lector, alienis laboribus, et sumptibus, ut spero , perfruiturus.* Cur , per quos , de qua , et quam multiplici re , ad quorum commodum , *et denique* quomodo *adlaboraverim, obscurum ex rebus commemoratis non est. Illud restat, ut pro humanitate vestra , Reverendissimi Parochi , admodum Reverendi Sacerdotes , et Reverendi Clerici tum inter Laicos degentes , tum sacris Coenobiis descripti, (qui tamen omnes aeque eidem militiae ad rem Catholicam tuendam nomen dedistis) aequi bonique faciatis operam nostram, quam optamus, ut per vos qui usuri estis, ad Proximum, sicut nos ipsos Dei causa diligendum, transferatis, atque opem Divinam, per quam in plurimos Dei Opt. Max. beneficia amplissima conferetis , mihi etiam impetrare non renuatis. Valete.* .

* Per verba *hujus editionis* intelligitur de editione Remondini (Bassani 1816).Ego autem intelligendum volo etiam de praesenti editione, quam suscepi, et in qua aliae Benedictiones adjectae sunt, et suis in locis insertae, quae notantur asterisco.

Andreas Festa



COLLECTIO BENEDICTIONUM

COORDINATA A R. P.

BERNARDO SANNIG.



TITULUS I.

De absolutionibus

§ I. *Forma absolutionis ab Haeresi.*



POSTQUAM Haereticus est sufficienter instructus in articulis Fidei, adducatur coram testibus ad aliquod altare, et si sit Haereticus toleratus in partibus Germaniae, non fiant aliae Ceremoniae verberationis etc. sed jubeatur facere Professionem Fidei sequentem editam a Pio IV.

Ego N. firma fide credo, et confiteor omnia, et singula, quae continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Factorem caeli, et terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex MARIA Virgine: ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos, et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem; Qui ex Patre, Filioque procedit: Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur: Qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma, in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi.

Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, re-

liquasque ejusdem Ecclesiae observationes, et constitutiones, firmissime admitto, et amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia: cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere, et proprie Sacramenta novae Legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis ordinata, (licet non omnia singulis necessaria), scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre. Et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine Sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque, et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto.

Omnia, et singula, quae de peccato originali, et de justificatione, in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium Sacrificium pro vivis, et defunctis; atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem, una cum Anima, et Divinitate D. N. J. C. fierique conver-

sionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem nominat.

Fateor etiam, sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari: similiter, et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero Imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, et venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesiam relictam fuisse, illarumque usum Christiano Populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco, Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, et juro.

Cetera item omnia a Sacris Canonibus, et Æcumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque haereses quas-

cumque ab Ecclesia damnatas, rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, ac veraciter teneo, eamdem integram, et inviolatam, usque ad extremum vitae spatium constantissime (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me munere meo spectabit, teneri, doceri, et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Finita professione Fidei, professus facit confessionem Sacramentalem, et Sacerdos ipsum absolvit formula sequenti.

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius, et sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, nec non sanctissimi Domini nostri Papae. N. mihi commissa, et hactenus nondum revocata, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, quo tereris propter

haeresim, in qua vixisti, et incorporo te gremio Sanctae Matris Ecclesiae, communioni fidelium, et participationi Sacramentorum ejusdem Sanctae Romanae, Catholicae, et vere Apostolicae Ecclesiae: deinde eadem auctoritate absolvo te ab omnibus peccatis tuis: In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

§ II. *Forma Absolutionis Sacramentalis Apostatae a Fide.*

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, et misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius, et Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, nec non Sanctissimi Domini nostri Papae N. mihi commissa, ego te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, quam incurristi propter Apostasiam a Fide, et errores, quos fortassis etiam aliis tradidisti, et restituo te gremio Sancte Matris Ecclesiae, communioni fidelium, et participationi Sacramentorum ejusdem Sanctae Romanae, Catholicae, et vere Apostolicae Ecclesiae. Deinde eadem auctoritate ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis: In nomine ✠ Patris, et ✠ Filii, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

§ III. *Forma Absolutionis Religiosi Apostatae extra Sacramentum.*

Fratribus capitulariter congregatis in loco Capituli, Religiosus Apostata jussu Superioris genuflexus disciplinat se flagellis recitando Psalmum, *Miserere mei Deus* etc. Eo finito Superior surgit, et dicit, *Kyrie eleison*, ceteris respondentibus *Kyrie eleison*, et dicto *Pater noster* sub silentio, Superior intelligibili voce dicit sequentia.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis:
℟. A facie inimici.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum N. fratrem nostrum, quem Apostasiae sententia ligat, miseratio tuae pietatis absolvat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde Praeses Apostatam absolvat sequenti forma.

Auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, et Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Sanctae Romanae Ecclesiae, Praelatorumque nostri Ordinis, mihi in hac parte commissa, ego te absolvo ab hoc vinculo excommunicationis, quo teneris, et ligaris per Apostasiam, et restituo te Sanctis Sacramentis Ecclesiae, et communioni fidelium, dispensando tecum in omni sententia irregularitatis, suspensionis, et interdicti, si qua exinde innodatus teneris. In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

§ IV. *Forma absolutionis excommunicati jam mortui.*

Si quis Excommunicatus ex hac vita decedens dederit signum contritionis, ne Ecclesiastica careat sepultura, sed suffragiis Ecclesiae, quantum fieri potest, adjuvetur, absolvi potest hoc modo: Si corpus nondum sepultum fuerit, verberetur et absolvatur, ut infra; deinde absolutum in loco sacro sepeliatur.

Si vero fuerit in loco profano, si commode fieri poterit, exhumetur, et eodem modo verberetur, et post absolutionem in loco sacro sepeliatur. Si autem commode exhumari non possit, locus sepulturae verberetur, postea absolvatur. Quod si in loco sacro sit sepultus, non exhumetur, sed verberetur sepulcrum: dum autem

corpus, sive sepulturam verberat Sacerdos, dicat Antiphonam sequentem.

Antiph. Exultabunt Domino ossa humiliata.

Psalm. Miserere mei Deus etc.

Quo finito absolvat dicendo:

Auctoritate mihi concessa, ego te absolvo a vinculo excommunicationis, quam incurristi; *vel* incurrisse declaratus es propter tale factum, et restituo te communioni fidelium: In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Deinde dicatur Psal. De profundis etc. *in fine.*

℣. Requiem aeternam dona ei, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi.

℣. Erue, Domine animam ejus.

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Da quaesumus, Domine, Animae famuli tui, quem excommunicationis sententia constrinxerat, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et superni luminis claritatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

§ V. *Forma Absolutionis a suspensione, vel interdicto extra, vel intra Sacramentum.*

Si Sacerdoti sit commissa facultas absolvendi aliquem a suspensione, vel interdicto, quamvis nulla verba sint praecipue determinata, uti poterit hac forma: poenitens dicat: *Confiteor; etc.* et Sacerdos *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam. Amen.*

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, et misericors Dominus. Amen.

Auctoritate mihi ab N. tradita, ego te absolvo a vinculo suspensionis, (*vel*) interdicti, quam, (*vel*) quod propter tale factum, (*vel*) causam incurristi, (*seu*) incurrisse declaratus es: In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Si vero Confessario, sive in foro conscientiae, sive extra, data sit potestas dispensandi super irregularitate, tunc postquam absolverit a peccatis, addat consequenter.

Et eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate, (*vel*) irregularitatibus, (*si sint plures*), in quam, (*vel*) in quas ob talem, (*vel*) tales causas (*eas exprimendo*) incurristi, et habilem redde, et restituo executioni Ordinum, et Officiorum tuorum: In nomine Patris ✠, et Filii ✠, Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Si nullum Ordinem habeat, dicatur: *Habilem reddo te ad omnes Ordines suscipiendos.*

Quod si necesse sit titulum Beneficii restituere, et fructus male perceptos condonare, subjungat:

Et restituo tibi titulum, (*seu*) titulos Beneficii, (*seu*) Beneficiorum, et condono tibi fructus male perceptos: In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Advertat autem Sacerdos, ne ullo modo in hujusmodi facultatis suae terminos excedat.

§ VI. *Forma Absolutionis pro Visitatione Generali, qua utuntur Superiores Regulares tempore Visitationis Canonicae.*

Primo omnes subditi genuflexi dicunt.

Confiteor, etc. *ea finita Praelatus stando dicit;*

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam aeternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, et misericors Dominus. Amen.

Si tenemini aliquo vinculo excommunicationis majoris, vel minoris, suspensionis, aut interdicti, in quantum se extendunt gratiae, et privilegia Ordini nostro indulta mihi commissa, et vobis concessa absolvo vos, et restituo vos Sacrosanctis Sacramentis Ecclesiae, communioni, et unitati fidelium: In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Item eadem auctoritate dispenso vobiscum super irregularitatibus, inabilitationibus, et aliis poenis Ecclesiasticis, si quas contraxistis, in quantum possum et valeo. Aboleo etiam a vobis omnem maculam infamiae, undecumque contractae, et habilito vos, et restituo executioni Ordinum, et Officiorum vestrorum; nec non ad omnes actus legitimos, tum Ordinis, tum Jurisdictionis, ac Religionis nostrae Beneficia, prout nostra se extendit auctoritas. Demum eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione Regolae, Constitutionum, Ordinationum, et Admonitionum Majorum nostrorum: ab omnibus poenitentiis oblitis, seu etiam neglectis, et ab omnibus peccatis vestris: de illis vobis concedo Indulgentiam plenariam, juxta formam Sanctae Romanae Ecclesiae consuetam; In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Ite in pace, nolite amplius peccare, et orate Deum pro me.

§ VII. *Forma Absolutionis solita dari Religiosis Capitularibus Electoribus in Capitulo ad effectum secuturae electionis.*

Electores omnes genuflectunt in medio Capituli, dicuntque Confiteor etc. *Desuper Praeses Capituli surgit, et dicit:* Misereatur, etc. Indulgentiam, etc. Dominus noster Jesus Christus vos absolvat, et ego auctoritate ipsius, et Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Sanctae Sedis Apostolicae,

mihi in hac parte commissa, et vobis concessa, absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis, si quam incurristis, et restituo vos unioni, et participationi fidelium, nec non Sanctis Sacramentis Ecclesiae, dispensando vobiscum in omni sententia irregularitatis, suspensionis, et interdicti, in qua innodati estis, et ad effectum electionis, canonice, et rite nunc per vos celebrandae, quatenus opus sit, et indigetis, vos habilito; In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

§. VIII. *Forma Absolutionis generalis, quae solet dari Religionis Fratribus agonizantibus.*

Fratres circumstantes dicunt, Confiteor etc. *Deinde Superior agonizantis, vel loco ejus alius Sacerdos dicit:* Misereatur tui, etc. Indulgentiam etc.

Dominus noster Jesus Christus per merita suae sanctissimae Passionis te absolvat, gratiam suam tibi infundat, et ego auctoritate ipsius, ac Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, et Summorum Pontificum mihi in hac parte commissa, et tibi concessa, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis majoris, vel minoris, et ab omni sententia suspensionis, et interdicti, et dispenso tecum in omni irregularitate, si quam contraxisti, et restituo te unioni, et participationi fidelium, nec non sanctis Sacramentis Ecclesiae. Eadem auctoritate ego te absolvo ab omni transgressione votorum tui Ordinis, et statuto-

rum Papalium, Generalium, Provincialium, Co-stodialium, Localium, Synodalium quorum-cumque. Eadem auctoritate te absolvo ab omni divino officio male persoluto;horis indebite trans-positis, et dimissis. Item eadem auctoritate ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis, quibus con-tra Deum fragilitate humana, ignorantia, vel ma-litia deliquisti, concedens tibi remissionem, et indulgentiam plenariam omnium peccatorum con-fessorum, et cunctorum, de quibus etiam non recordaris, aut oblitus fuisti in quantum Claves Ecclesiae se extendunt. Item eadem auctoritate ego te absolvo a poenis purgatorii, quas pro peccatis commissis, et delictis in hoc Mundo perpetratis, meruisti; restituendo te illi statui innocentiae quo eras, quando baptizatus fuisti: In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Quod si hac vice non decesseris, reservo tibi hanc gratiam usque ad extremum mortis tuae articulum.

Hoc maximum privilegium Indulgentiarum in mortis articulo Religiosis claustralibus hac con-ditione, et onere a Summis Pontificibus conces-sum fuit, ut, qui legere sciunt, Psalmos Poeni-tentiales cum suis Litaniis omnium Sanctorum, ver-sibus, et orationibus annexis, dicant toties, quot sunt hebdomadae in anno 52, videlicet: qui vero legere nesciunt, debent alia pia opera ad arbi-trium sui Confessarii facere. Vide Theat. V. ab-sol. n. 18.

§ IX. *Forma Absolutionis generalis solita dari Chordigeris S. Francisci in articulo mortis.*

Dicto Confiteor, etc. *Sacerdos Franciscanus dicit:* Misereatur, etc. Indulgentiam, etc.

Dominus noster Jesus Christus per merita suae sanctissimae Passionis te absolvat, et gratiam suam tibi infundat. Et ego auctoritate ipsius, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, et Summorum Pontificum mihi in hac parte commissa, et tibi concessa, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis majoris, vel minoris, et interdicti, si quod incurristi, et restituo te unioni et communioni fidelium, et Sanctis Sacramentis Ecclesiae. Item, eadem auctoritate absolvo te ab omnibus peccatis tuis, quibus contra Deum fragilitate humana, vel malitia deliquisti, tibique relaxo omnes poenas purgatorii, quas pro peccatis tuis commissis meruisti, concedens tibi remissionem, et Indulgentiam plenariam omnium peccatorum, et cunctorum, de quibus etiam non recordaris, aut oblitus fuisti, in quantum claves Ecclesiae se extendunt; et restituo te illi innocentiae, in qua eras, quando baptizatus fuisti: In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Quod si hac vice non decesseris, reservo tibi hanc gratiam usque ad extremum mortis tuae articulum.

TITULUS II.

De Benedictionibus Indumentorum Sacerdotalium.

Regulae generales de Benedictionibus.

1. In omni Benedictione extra Missam Sacerdos saltem superpelliceo, et stola pro ratione temporis utatur, nisi aliter in Missali notetur.

2. Stando semper benedicat, et aperto capite.

3. In principio cujusque Benedictionis dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

4. Deinde dicitur Oratio propria, una, vel plures, prout suo loco notatum fuerit.

5. Postea rem aspergat aqua benedicta, et ubi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo.

6. Cum Sacerdos aliquid benedicturus est, habeat ministrum adstantem cum vase Aquae Benedictae et aspergillo, et cum hoc libello, seu alio, ut respondeat.

7. Caveat, ne Benedictionis causa ponat aliquid indecens super altare, veluti esculenta: sed quod ejusmodi est, ponatu super mensam, in commodo loco paratam.

§ 1. *Superior Regularis, vel alius habens Privilegium benedicendi indumenta Sacerdotalia, primo benedicat in communi omnia indumenta praesentia modo sequenti.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Moysem famulum tuum Pontificalia, atque Sacerdotalia, seu Levitica vestimenta ad explendum in conspectu tuo ministerium eorum, et ad decorem, seu laudem nominis tui, fieri decrevisti, adesto propitius invocationibus nostris; et haec indumenta sacerdotalia desuper gratia tua irrigante, tua ingenti benedictione, per nostrae humilitatis servitutem, purificante, bene✝dicere, et conse✝crare digneris: ut divinis cultibus, et sacris ministeriis apta, et benedicta existant, hisque sacris vestibus Sacerdotes, sive Levitae tui induti, defensi, et muniti ab omnibus impulsionibus, seu tentationibus malignorum spirituum esse mereantur, tuisque ministeriis apte, et condigne servire, et inhaerere, atque in his placide, et devote perseverare tribue. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Alia Oratio.

Deus invictae virtutis auctor, et omnium rerum Creator, et Sanctificator, intende propitius ad preces nostras, et hoc orarium, seu

amictum, albam, cingulum, et manipulum, stolam, planetam, ac pluviale, strictam, et dalmaticam, Leviticae, seu Sacerdotalis gloriae ministris tuis ferenda, tuo proprio ore bene✝dicere, ac sanctifi✝care digneris, omnesque eis utentes tuis ministeriis aptos, et tibi in eis devote, ac laudabiliter servientes, gratos effici concedas, et nunc, et per infinita saecula saeculorum. Amen.

Alia Oratio.

Domine Deus Omnipotens, qui vestimenta Pontificibus, Sacerdotibus, et Levitis, in usum tabernaculi foederis necessaria, Moysem famulum tuum agere jussisti, eumque Spiritu sapientiae ad id peragendum replevisti, haec vestimenta in usum, et cultum ministerii tui praeparata, sancti✝ficare, bene✝dicere, et conse✝crare digneris, atque ministros altaris tui, qui, ea induerint, septiformi Spiritus Sancti gratia dignanter repleri, atque castitatis stola beata facias cum bonorum fructu operum ministerii congruentis immortalitate vestiri. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

Postea aspergatur Aqua benedicta.

§ II. *Benedictio Amictus.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.

℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

ORATIO.

Immensae pietatis, et plenitudinis gratiarum infusor Deus, qui per os Prophetae tui dixisti, expandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam, plenitudinem gratiae, et bene✝dictionis tuae super hunc amictum, quaesumus, propitiatus extende, ut omnes, qui eo usi fuerint, perfectam, quam designat amictus, castigationem vocis, et gulae sentiant, fiantque perfecta virtute decori, ut ex amictibus ipsis reddantur tibi Deo omnipotenti, moribus, et gratia speciosi. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. Amen.

§. III. *Benedictio Albae.*

ORATIO.

Domine Deus omnipotens, qui Aaron, et filios ejus tunicis lineis in decorem, et gloriam. Sacerdotii indui praecepisti, cum quibus ipsi sanctificati, tibi etiam in sanctuario ministrarent, hanc, quaesumus, lineam tunicam tuae virtutis sanctificatione bene✝dicere, et sancti✝ficare digneris: quatenus omnes, qui ea induti in sancto ministerio tuo usi fuerint, digni fiant altaris tui ministri, ipsosque septiformi gratia Spiritus Sancti repletos, et castitatis zona praecinctos, facias cum ministris Angelicis immortalitatis fruitione vestiri. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

§ IV. *Benedictio Cinguli.*

OREMUS

Deus innocentiae restitutor, et puritatis amator, qui utriusque testamenti Patres lumbos suos praecingere instruxisti: quo videlicet carnalem lumborum luxuriam discerent sobrietate continentiae coarctare, sanctifi✝ca, et bene✝dic, quaesumus Domine, cingulum istud, ut omnes qui eo cincti fuerint, et ab aestu voluptatum carnalium refrigerium sentiant, et Spiritus Sancti rore perfusi, quae tua sunt, mundo corde, et casto corpore desiderent, et sectentur. Per Dominum nostrum, etc.

§ V. *Benedictio Manipuli.*

OREMUS

Deus, qui de fructu operum tuorum terram satias, et secundum opera sua retribuis, et judicas unumquemque; Manipulum istum, per quem fructus bonorum operum designatur, tuae benedictionis dono sanctifica, quatenus ministri altaris tui, ipso utentes Manipulo, per bonorum operum fructus, digna se gaudeant assequi praemia meritorum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

§ VI. *Benedictio Stolae.*

OREMUS

Ineffabilis benignitatis, et clementiae Deus cujus jugum suave, onusque leve esse, tu ips

perhibes, quique per os sapientis, collum nos subjicere jugo tuae sapientiae docuisti, bene✝dic, quaesumus, et sancti✝fica stolam istam, jugum mansuetudinis praesignantem, ut Sacerdotes, et Levitae tui, qui eidem stolae humeros, et colla submiserint, suavitatis tuae sentiant lenitatem, quatenus inter illam magnam, et innumerabilem turbam, quam beatus Joannes vidit in conspectu Agni Stolis albis amictam, Stolas suas lavare in ipsius Agni sanguine mereantur; ac tamquam formosi in stola sua; et in multitudine suae fortitudinis gaudentes, stola induantur gloriae aeternaliter cum electis. Per Christum Dominum, etc.

§ VII. *Benedictio Planetae, seu Casulae.*

OREMUS

Deus fons bonitatis, et justitiae, qui tui operis ministros ad extremum vestimento casulae, cujus munimine interius omnia tenerentur, vestiri sanxisti, bene✝dic, quaesumus, et sancti✝fica casulam istam, et concede petitionibus nostris, ut omnes hac casula induti, enumeratis intus omnium virtutum ornamentis, vinculum perfectae charitatis super omnia habeant, quo desiderare, et quo proficere, te praestante, valeant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

§ VIII. *Benedictio Strictae, seu Tunicellae.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui Moysi famulo tuo levitica indumenta, quae ad cultum Sanctuarii pertinent, facere praecepisti: bene✝dic, quaesumus, hanc Strictam, seu Tunicellam, ut Subdiaconatus ministeriis, quibus famuli tui decenter sunt ornati, et virtutum percipiant incrementa, et vitiorum monstra deviantes, ad te, qui via, et veritas, et vita es, gratiosi valeant pervenire. Per Christum, etc.

§ IX. *Benedictio Dalmaticae.*

ORATIO

Deus omnipotens, bonarum virtutum dator et omnium benedictionum largus infusor, supplices te rogamus, ac petimus, ut mentibus nostris opem tuae benedictionis infundas, et hanc Dalmaticam, digno cultui tuo praeparatam virtute S. Spiritus bene✝dicere, sancti✝ficare, et conse✝crare digneris, et omnibus eam portantibus gratiam sanctificationis sacri ministerii tu benigne concede, ut in conspectu tuo sancti et immaculati, atque irreprehensibiles appareant et auxilium tuae misericordiae acquirant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

§ X. *Benedictio Mapparum, seu Linteaminum Altaris.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

ORATIO

Exaudi, Domine, preces nostras; et haec sancta linteamina, sacri Altaris usui praeparata, bene✝dicere, et sanctifi✝care digneris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Alia Oratio.

Domine Deus omnipotens, qui ornamenta, et linteamina facere Moysem servum tuum, per quadraginta dies docuisti, quae etiam Maria texuit, et fecit in usum ministerii Tabernaculi foederis, sancti✝ficare, bene✝dicere, et conse✝crare digneris haec Linteamina ad tegendum, involvendumque Altare gloriosissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, etc.

Postea asperguntur aqua benedicta.

§ XI. *Benedictio Pluvialis.*

OREMUS

Domine Deus, Pater omnipotens, Rex, ac magnificus Triumphator, qui per sanctos Patres nostros, qui tibi in Sacerdotali Ordine placuerunt, diversi generis ornamenta, et vestimenta Sacerdotalia fieri, et in his ornari Sacer-

dotes tibi servientes voluisti, exaudi propitius orationem nostram, et hanc Cappam, seu Pluviale, dextera tua sancta bene✝dicere, sancti✝ficare, et conse✝crare digneris, quatenus hoc vestimentum Ministris, et Levitis, Sacerdotibus, ac Pontificibus tuis ad divinum cultum ordinandum, atque explendum proficiat, sanctisque Altaribus mundi et ornati, in veste ministraturi, irreprehensibiles in actu, et dicto, interius, exteriusque appareant, et tibi soli Deo puro corde; et mundo corpore, omnibus diebus vitae suae, irreprehensibiliter Ss. Patrum exempla sequentes, servire valeant; iisque sacris ministeriis secundum tuam voluntatem, quando tibi placuerit, expletis, caelestis regni gloriam, cum omnibus nobis sibique commissis percipere mereantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

§ XII. *Benedictio Thuribuli.*

ORATIO

Deus, ad cujus sepulcrum cum aromatibus in specie animarum sanctarum, virtutes sanctorum operum gestantium, diluculo mulieres venisse memorantur; et in cujus conspectu Angelus, habens Thuribulum aureum, stetisse, et datis incensis de Orationibus omnium Sanctorum ante thronum Domini adolevisse, caelesti jussione divulgatur, adesto propitius invocationibus nostris, et hoc Thuribulum caelesti benedictione perfunde, ut quicumque ex eo timiamatis, vel thuris

fragrantiam senserint, tua donante immensa clementia, odores orationum ante conspectum Majestatis tuae per manus Sanctorum emittant Angelorum, atque persolvant, Salvator mundi. Qui vivis, et regnas, etc.

§ XIII. *Benedictio sacrorum vasorum et aliorum ornamentorum in genere.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Exaudi Domine preces nostras, Pater clementissime, et haec purificanda vasa et ornamenta sacri Altaris, atque Ecclesiae tuae, sancti ministeri tui usui praeparata, bene✝dicere, sancti✝ficare, et conse✝crare digneris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Alia Oratio

Omnipotens sempiterne Deus, a quo omnia immunda purgantur; et in quo omnia purgata clarescunt; supplices Filii tui omnipotentiam invocamus, ut ab his vasis, ornamentis, et ministeriis quae tibi offerunt famuli tui, omnis spiritus immundus consessus longe discedat, et per tuam bene✝dictionem ad usum et ministerium sancti Altaris, et Ecclesiae tuae sanctificata permaneant. Per Christum, etc.

§ XIV. *Benedictio generalis ad quaecumque volueris.*

ORATIO

Bene✝dic Domine creaturam istam N. ut sit remedium salutare generis humani, et praesta per invocationem sancti Nominis tui, ut quicumque ex ea, vel eo sumpserint, vel usi fuerint, salutem animae, e corporis suscipiant sanitatem. Per Christum Dominum nostrum Amen.

§ XV. *Benedictio Crucis quae ponitur super vestimentum.*

ORATIO

Bene✝dic Domine Jesu Christe hanc Crucem, per quam eripuisti mundum a potestate daemonum, et superasti Passione suggestorem peccati, qui gaudebat in praevaricatione primi hominis, per ligni vaetiti praesumptionem. Qui cum Deo Patre, et Spiritu Sancto, etc.

Alia benedictio ejusdem.

Sancti✝fica, quaesumus, Domine istud signaculum Passionis tuae, ut sit inimicis tuis obstaculum, et credentibus in te efficiatur victoriae vexillum. Qui cum Deo Patre, e Spiritu Sancto vivis, et regnas in saecula saeculorum, Amen.

§ XVI. *Benedictio Linteaminis, quo tegendum, et servandum est Corpus Dominicum.*

℣. Adjutorium, etc.

ORATIO

Omnipotens sempiterne Deus bene✝dic linteamen istud, ad tegendum involvendumque Corpus, et Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit, et regnat, etc.

Aspergatur, etc.

§ XVII. *Benedictio Corporalium, et Pallarum.*

℣. Adjutorium, etc.
℣. Domine exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

ORATIO

Clementissime Domine, cujus inenarrabilis virtus; cujus mysteria arcanis mirabilibus celebrantur, tribue, quaesumus, ut hoc linteamen tuae protectionis bene✝dictione sancti✝ficetur, ad consecrandum super illud Corpus, et Sanguinem Filii tui Domini Nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit, et regnat, etc.

Alia Oratio

Omnipotens sempiterne Deus bene✝dicere, sancti✝ficare, et conse✝crare digneris linteamen istud ad tegendum et involvendum Corpus, et Sanguinem Filii tui Domini Nostri Jesu Christi. Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Alia Oratio

Omnipotens, sempiterne Deus, manibus nostris opem tuae benedictionis infunde, ut per nostram benedictionem hoc linteamen sanctificetur; et Corporis, et Sanguinis Redemptoris no-

stri novum sudarium Spiritus Sancti gratia efficiatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

§ XVIII. *Benedictio Pallarum, Corporalium, et Linteaminum sacrorum, post eorum ablutionem.*

Sacerdos Superpelliceo, et stola indutus dicit.
℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.

OREMUS

Omnipotens, sempiterne Deus, innocentiae restitutor, qui per Moysem famulum tuum praecepisti Sacerdotibus, et Ministris, ut in Sanctuario vestes nitidae asservarentur, et maculatae mundarentur, ne quid inesset, quod tuae oculos offenderet Majestatis, tibi, has vestes tua benedictione consecratas, referimus mundas, et nitidas, suppliciter deprecantes, ut eas in usum ministerii tui pristinum, placidus, ac benignus reassumere digneris, quatenus sacrificium tibi acceptum, et nobis salutiferum super eis offerre valeamus. Per Christum Dominum, etc.

Deinde aspergit Aqua benedicta, dicens.

Reconciliare, et ad usum pristinum sacri ministerii renovare: In nomine pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti Amen.

§ XIX. *Benedictio tabernaculi, seu vasculi, pro sacrosancta Eucharistia conferenda.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, Majestatem tuam supplices deprecamur, ut vasculum hoc, pro corpore Filii tui Domini nostri Jesu Christi in eo condendo fabbricatum Bene✝dictionis tuae gratia dicare digneris. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit aqua benedicta.

TITULUS III.

De variis aliis Benedictionibus.

§ I. *Forma Benedictionis pro aqua benedicenda ordinaria.*

Diebus Dominicis, et quandocumque opus fuerit, praeparato Sale, et Aqua benedicenda in Ecclesia, vel in Sacristia, Sacerdos superpelliceo, et stola violacea indutus primum dicit:

℣. Adjutorium nostrum, etc.

Deinde absolute incipit exorcismus Salis.

Exorcizo te Creatura Salis per Deum✝vivum, per Deum ✝ verum, per Deum ✝ sanctum, per Deum, qui te per Elisaeum Prophetam in aqua mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquae: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium,

et sis omnibus sumentibus te sanitas animae, et corporis, et effugiat, atque discedat a loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia, et nequitia vel versutia diabolicae fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus per eum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS.

Immensam Clementiam tuam, omnipotens aeterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc Creaturam Salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene✝dicere et sancti✝ficare digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis, et corporis, et quidquid ex eo tactum, vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiae. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus aquae, et dicitur sine Oremus.

Exorcizo te Creatura Aquae in nomine Dei ✝ Patris omnipotentis, et in nomine Jesu✝ Christi Filii ejus Domini Nostri, et in virtute Spiritus ✝ Sancti, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare, et explantare valeas, cum Angelis suis apostaticis: per virtutem ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS

Deus, qui ad salutem humani generis maxima quaeque Sacramenta in Aquarum substantia

condidisti, adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus praeparato, virtutem tuae bene ✠ dictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens ad abigendos daemones, morbosque pellendos divinae gratiae sumat effectum, ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium haec unda resperserit, careat omni immunditia, et liberetur a noxa; non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens; discedant omnes insidiae latentis inimici; et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus Aquae effugiat, ut salubritas, per invocationem Sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum Nostrum Jesum Christum, etc.

Hic ter mittat sal in aquam in modum Crucis, dicendo semel: Commixtio Salis, et Aquae pariter fiat. In nomine Patris ✝, et Filii ✝, et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Deus invictae virtutis auctor, et insuperabilis Imperii Rex, ac semper Magnificus Triumphator; qui adversae dominationis vires reprimis; qui inimici rugientis saevitiam superas; qui hostiles nequitias potenter expugnas; te, Domine, trementes, et supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc Creaturam Salis, et Aquae dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuae rore sanctifices; ut ubicumque fuerit aspersa, per

invocationem sancti tui Nominis, omnis infestatio immundi Spiritus abigatur; terrorque venenosi serpentis procul pellatur, et praesentia Sancti Spiritus nobis misericordiam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

§ II. *Benedictio Domus in Vigilia Nativitatis Domini juxta consuetudinem locorum, uno, vel tribus diebus benedicendae.*

Sacerdos Domum ingrediens dicat: Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea. *Deinde ad locum praeceptum domus dicit.*

ANTIPHONA

Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Alleluja.

Magnificat anima mea Dominum, etc. *Dum dicitur Magnificat, circuit Domum eam aspergendo aqua benedicta, et incenso adolet, in fine in loco apto consistens repetit;*

ANTIPHONA

Cum esset desponsata, etc. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

℣. Hodie scietis, quia veniet Dominus.

℟. Et mane videbitis gloriam ejus.

℣. Domine exaudi orationem meam etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, qui hanc sacratissimam noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere, da quaesumus; ut cujus lucis Mysteria in terris cognovimus, ejus quoque gaudiis in caelo perfruamur. Per eumdem Dominum nostrum, etc.

Ubi sunt Clerici, poterit cantari Responsorium;

Judaea, et Jerusalem nolite timere, cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum. Emmanuel, quem praedixit Gabriel natum de pura Virgine, erit vobiscum.

℣. Constantes estote, videbitis auxilium Domini super vos.

℟. Cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum. Emmanuel, quem praedixit Gabriel natum de pura Virgine, erit vobiscum.

§ III. *Benedictio Avenae in festo S. Stephani.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

Bene✝dic Domine Creaturam istam Avenae, ut sit remedium salutare equis, ceterisque animalibus; et praesta, per invocationem sancti nominis tui, ut, quaecumque ex ea gustaverint, corporis sanitatem percipiant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Creator, et conservator generis humani, dator gratiae spiritualis, largitor salutis aeternae: Tu Domine mitte Spiritum tuum super hanc Creaturam Avenae, ut equis, ceterisque animalibus ex

ea gustantibus, proficiat ad sanitatem. Per Dominum nostrum etc.

Et Benedictio † Dei Patris omnipotentis, et Filii †, et Spiritus † Sancti descendat super hanc Creaturam Avenae. Amen.

℣. Dominus vobiscum, etc.

Sequentia S. Evangelii secundum Matthaeum.

In illo tempore dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc: Simile factum est Regnum Caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo: cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania. Accedentes autem servi Patrisfamlias dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Et ait illis: inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis imus, et colligimus ea? et ait: Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis cum eis simul triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania, et alligate era in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

Finito Evangelio Sacerdos dicit:

Per istos sermones S. Evangelii indulgeat nobis Dominus noster Jesus Christus nostra crimina, et delicta.

Bene†dicat Dominus hanc Creaturam pabuli Avenae, hordei, siliginis; et si quae, sint, praeterea. Amen.

Exorcizo te creatura Avenae, et aliarum fru-

gum, quas populus Domini ad benedicendum in hac sacra die attulit, in nomine Dei Pa†tris, qui est sine initio, et sapientis Sanctissimi Fi†lii, qui assumens carnis nostrae formam, redemit nos de diabolica potestate, et in nomine bonitatis Spi†ritus Sancti paraclyti, qui virtute sua totius Mundi machinam gubernat.

Item, exorcizo te universum semen, quodcumque apportatum est ad benedictionem, in nomine Sanctissimae Trinitatis unius, ad cujus imperium cuncta sunt creata, et creantur omnia praesentia, praeterita, et futura, ut sis semen exorcizatum, et consecratum ad utilitatem humani generis, ut ex eo seminantes multiplicem fructum percipere mereantur. Insuper animalia ex eo pascentia, quaecumque ex hac Avenae, vel universo semine, quodcumque in hac consecratione fuerit, gustaverint, periculum quodcumque per circulum anni non sentiant sibi nociturum, adjutorio Domini Nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. Amen.

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui es Conditor, et Creator cunctorum, qui universa ex nihilo creasti, exaudi preces nostras, et hanc Avenam, cunctaque semina quae populus attulit, bene†dicere, et sancti†ficare digneris ut quodcumque animal ex eo gustaverit, in tua benedictione maneat, et per eam sanitatem, et fortitudinem cunctis temporibus adipisci mereatur.

Insuper Clementiam tuam suppliciter deprecamur; ut ubicumque seminata fuerint, sive in hortis, sive in campis, nec aerugo, nec rubigo, nec tinea, nec vermes nocturni, nec grando, nec aliqua tempestas, vel aura corrumpens, eisdem, tua benedictione protegente, nocere valeat. Per Christum Dominum nostrum, etc.

OREMUS.

Deus, qui temporibus Eliae Prophetae Caelum a nubibus restringendo clausisti, et rursum aperiendo te mirabilem ostendisti; exaudi preces plebis tuae per Unigenitum tuum, quem consubstantialem, et coaequalem tibi in Divinitate credimus, et per Spiritum Sanctum Paraclytum, quem ab utroque procedentem confitemur, et per merita Beatissimi Proto-Martyris Stephani, cujus hodie festum colimus, ut bene✝dicas, et sancti✝fices hanc Avenam, hordeum, siliginem, et quae sunt praeterea, ut quaecumque animalia ex eis gustaverint, adjutorium sanitatis, et incolumitatis recipiant, per te, Domine sancte Pater, qui cum Filio, et Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Et Benedictio Dei Pa✝tris omnipotentis, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti descendat super hanc Avenam, hordeum, siliginem, et reliqua si praeterea sint semina. Amen.

Aspergitur aqua benedicta.

§ IV. *Benedictio vini in festo S. Joannis Evangelistae.*

℣. Adjutorium etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.
Initium S. Evangelii secundum Joannem.
℟. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes: Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae, et veritatis. ℟. Laus tibi Christe.

Psalmus. 22.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuae, ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiae, propter nomen suum.

Nam etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: et calix meus inebrians quam praeclarus est.

Et misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitae meae.

Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

℣. Salvos fac fideles tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.

℣. A facie inimici.

℣. Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus.

℣. Beatus vir, qui speret in eo.

℣. Et si mortiferum quid bibent.

℟. Non eis nocebit.
℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, cujus Imperio Caeli firmati sunt; cui omnis creatura deservit, et omnis potestas subjecta est, et expavescit; nos te in auxilium nostrum invocamus,cujus audito nomine serpens conquiescit, draco fugit, vipera silet, et subdola illa quae dicitur rana inquieta, torpescit; scorpio extinguitur, regulus vincitur; squalangus nihil noxium operatur, et omnia venenata, et adhuc fortiora animalia noxia terrentur. Tu Domine extingue omnes diabolicas fraudes, et omnes humano generi adversantes nequitias, et hunc liquorem Vini per intercessionem Sancti Joannis Evangelistae tua virtute bene✝dicito, et omnes ex eo gustantes, meritis, et precibus sanctissimae Dei Genitricis Mariae, omnium Sanctorum tuorum interveniontibus, ab omni malo custodias, et ad Regnum gloriae tuae perducas. Per Dominum nostrum, etc.

ORATIO

Deus, qui mirabili potentia Vinum produci ex vite, ut inde exhilaretur cor hominis, qui mirabili potentia in Cana Galilaeae ad potandum, nuptiali populo aquam convertisti in vinum, quique mirabilissima potentia, per manus Sacerdotum, elementum Vini quotidie in Sacratissimum tuum transformas Sanguinem: Deus,

cujus potestate Joannes Evanglista venenosi potus digessit toxicum, bene†dicere dignare hanc creaturam Vini, ut omnes ex eo gustantes, expulso toto genere nocivo, infuso tuae bene†dictioni mysterio in anima, et corpore, mereantur misericorditer exilarari. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

OREMUS

Beati Joannis Evangelistae, quaesumus Domimine, supplicatione placatus, et veniam nobis tribue, et remedia aeterna concede. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

Benedictio Dei Pa†tris omnipotentis, et Fi†lii, et Spiritus † Sancti, descendat super hunc liquorem Vini, et maneat semper. Amen.

§ V. *Benedictio Domus in Vigilia Circumcisionis Domini.*

Sacerdos ingrediens Domum dicat:

Pax huic Domui, et omnibus habitantibus in ea.

ANTIPHONA

Magnum haereditatis Mysterium, Templum Dei factus est Uterus nescientis virum; non est pollutus ex ea carnem assumens: omnes gentes venient dicentes: Gloria tibi Domine, Alleluja.

Canticum. Magnificat, etc.

Aspergitur, et incensatur Domus, ut supra, in fine.

Magnum haereditatis mysterium, etc.

Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

℣. Vocatus est nomen ejus Jesus.

℟. Omne genuflectatur caelestium, terrestrium, et infernorum.

℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.

℟. Dominus vobiscum, etc.

ORATIO

Deus, qui salutis aeternae Beatae Mariae Virginitate foecunda humano generi praemia praestitisti, tribue quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

RESPONSORIUM

Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae, et veritatis.

℣. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

℟. Plenum gratiae, et veritatis.

§ VI. *Benedictio Domus in vigilia Epiphaniae Domini. In ingressu.*

Pax huic Domui, et omnibus habitantibus in ea.

ANTIPHONA

Ab Oriente venerunt Magi in Bethlehem ado-

rare Dominum, et apertis thesauris suis pretiosa munera obtulerunt; aurum Regi magno: thus Deo vero: Myrram Sepulturae ejus. Alleluja.

Canticum. Magnificat anima mea, etc. *Aspergitur, et incensatur domus, ut supra.*

In fine Ant. Ab Oriente venerunt etc.

Pater noster, etc.

℣. E ne nos inducas in tentationem, etc.

℣. Omnes de Saba venient.

℟. Aurum, et thus deferentes.

v. Domine, exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti, concede propitius, ut qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuae celsitudinis perducamur. Per eumdem Dominum nostrum, etc.

RESPONSORIUM

Illuminare, illuminare Jerusalem, quia venit lux tua: et gloria Domini super te orta est, Jesus Christus ex Maria Virgine.

℣. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et Reges in splendore ortus tui.

℟. Et gloria Domini super te orta est, etc.

§ VII. *Benedictio Cretae.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.

Bene✝dic, Domine Deus, creaturam istam Cretae, ut sit salutaris humano generi, et prae-

sta per invocationem nominis tui sanctissimi, ut quicunque ex ea sumpserint, vel in domus suae portis scripserint nomina Sanctorum tuorum Gasparis, Melchioris, Balthassaris, per eorum intercessionem, et merita, corporis sanitatem, et animae tutelam percipiant. Per Christum Dominum, etc.

Aspergatur aqua benedicta.

§ VIII. *Benedictio Auri, Thuris, et Mirrhae in Epiphania Domini.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

ORATIO

Suscipe, sancte Pater, a me indigno famulo tuo haec munera, quae in honorem nominis tui sancti, et in titulum omnipotentis tuae Majestatis humiliter tibi offero, sicut suscepisti sacrificium Abel justi, et sicut eadem munera tribus Magis tibi quondam offerentibus suscepisti. Exorcizo te creatura Auri, Myrrhae, et Thuris per Patrem†omnipotentem, per Jesum†Christum Filium ejus Unigenitum, per Spiritum Sanctum† Paraclytum, ut a te discedat omnis fraus, dolus, et nequitia diaboli, et sit remedium salutare humano generi contra insidias inimici: ut quicumque divino freti auxilio te in suis loculis, domibus, aut circa se habuerint, per virtutem et merita Salvatoris nostri, ac intercessionem ejus Sanctissimae Genitricis, et Virginis Mariae,

ac eorum, qui hodie similibus muneribus Christum Dominum venerati sunt, omniumque Sanctorum, ab omnibus periculis animae, et corporis liberentur, et bonis omnibus perfrui mereantur. ℟. Amen.

Deus invisibilis, et indeterminabilis, pietatem tuam, per sanctum, et tremendum Filii tui nomen, suppliciter deprecamur, ut in hanc Creaturam Auri, Thuris, et Myrrhae bene✝dictionem, ac operationem tuae virtutis infundas; ut qui ea penes se habuerint, ab omni aegritudinis, et laesionis incursu tuti sint, et omnes morbos corporis, et animae effugiant, nullum dominetur eis periculum, et laeti, ac incolumes tibi in Ecclesia tua deserviant. Qui in Trinitate perfecta vivis, et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postea aspergantur aqua benedicta.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti descendat super hanc creaturam Auri, Thuris, et Myrrhae, et maneat semper. ℟. Amen.

§ IX. *Benedictio Candelarum extra diem Purificationis B. M. V.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, bene✝dic candelas istas supplicationibus nostris, et infunde

eis, Domine per virtutem sanctae Cru✝cis, benedictionem caelestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti: talemque benedictionem signaculo sanctae Cru✝cis accipiant, ut quibuscumque locis accensae, sive positae fuerint, discedant Principes tenebrarum, et contremiscant, et fugiant pavidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis; nec praesumant amplius inquietare, aut molestare servientes tibi omnipotenti Deo. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postmodum aspergantur aqua benedicta.

§ X. *Benedictio Candelarum in festo S. Blasii Episc. et Martyris.*

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.

OREMUS

Omnipotens, et mitissime Deus, qui omnium mundi rerum diversitates solo verbo creasti, et ad hominum reformationem, illud idem Verbum, per quod facta sunt omnia, incarnari voluisti, qui magnus es, et immensus, terribilis, atque laudabilis, ac faciens mirabilia: pro cujus fide, et confessione, gloriosus Martyr, et Pontifex Blasius, diversorum tormentorum genera non pavescens, Martyrii palmam feliciter est adeptus; quique eidem inter ceteras gratias, hanc praerogativam contulisti, ut quoscumque gutturis morbo tua virtute curaret: Majestatem

tuam suam suppliciter exoramus, ut, non inspectu reatus nostri, sed ejus placatus meritis et precibus, hanc Cerae creaturam bene✝dicere, ac sancti✝ficare, tua venerabili pietate digneris, tuam gratiam infundendo, ut omnes, quorum colla per eam ex bona fide tacta fuerint, a quocumque gutturis morbo, ipsius Passionis meritis liberentur, et in Ecclesia sancta tua, sani, et hilares, tibi gratiarum referant actiones, laudentque nomen tuum gloriosum, quod est benedictum in saecula saeculorum. Per eumdem Dominum nostrum, etc.

Asperguntur aqua benedicta, deinde Sacerdos terminata Missa, deposita Casula, et Manipulo, accensis duobus Cereis, ac in modum Crucis aptatis, apponens illos sub mento gutturis cujusvis benedicendorum, ipsis ante altare genuflectentibus, dicat:

Per intercessionem S. Blasii Episcopi, et Martyris liberet te Deus a malo gutturis, et a quolibet alio; In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus✝Sancti. Amen.

§ XI. *Benedictio Panis, et Vini in festo S. Blasii Episc. et Martyris.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.
℣. Ora pro nobis S. Blasi.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Domine exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Salvator Mundi Deus, Domine Jesu Christe, qui hodiernam diem D. Blasii Martiyrio consecrasti, et diversas creaturas ad salutem hominum creasti, quique ex quinque panibus, et duobus piscibus quinque millia hominum satiasti, ac populum Judaicum in Deserto miraculose pavisti, ineffabilem misericordiam tuam supplici-ter exoramus, et petimus ut hos panes, quos plebs fidelis tibi devote hodie ad sanctificandum attulit, tua pietate bene✝dicere, et sancti✝ficare digneris, ut qui ex eis gustaverint, vel comederint, ab omni gutturis plaga, et totius corporis infirmitate, meritis, et intercessione ejusdem B. Blasii Martyris tui, plenam recipiant sanitatem, et nos servos tuos ab omni corporis, et animae aegritudine sanos conservent. Qui vivis, et regnas, etc. ℟. Amen.

§ XII. *Benedictio Panis, et aquae in festo S. Agathae, contra periculum ignis.*

Psalmus 66.

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam; in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Laetentur, et exultent gentes, quoniam judicas populos in aequitate; et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terrae.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

℣. Adjutorium nostrum, etc.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℣. Ex hoc, nunc, et usque in saeculum.

℣. Ora pro nobis B. Agatha.

℟. Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui es Panis vivus, qui de Caelo descendisti, bene✠dic, et sancti✝fica hos panes, et aquam in honorem Beatae Agathae Virginis, et Martyris, ut, ubicumque contra ignem comburentem missa, vel posita fuerit, illico ignis evanescat, et penitus extinguatur. Qui vivis, et regnas, etc.

Benedictio Dei omnipotentis Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spi✝ritus Sancti, per intercessionem B. Agathae Virginis, et Martyris tuae, descendat super has creaturas Panis, et Aquae, et maneat semper. Amen.

§ XIII. *Benedictio domorum in Sabbato S. Paschatis.*

Parochus, seu alius Sacerdos superpelliceo, et stola alba indutus, cum ministro deferente vas Aquae ex Benedictione fontis ante perfusionem Chrismatis acceptae, visitat domos suae Parochiae aspergens eas aqua benedicta. Ingrediens domum dicit; Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

Deinde aspergens loca praecipua domus, et eos, qui habitant in ea, dicit Antiphonam: Vidi Aquam egredientem de templo a latere dextero, Alleluja; et omnes, ad quos pervenit Aqua ista, salvi facti sunt, Alleluja, Alleluja.

Psalmus.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, etc.

Repetitur Antiphona. Vidi aquam, etc. *Deinde.*

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Alleluja.

℟. Et salutare tuum da nobis. Alleluja.

℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine Sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, et sicut domos Hebraeorum in exitu de Ægypto Agni sanguine linitas, quod Pascha nostrum, in quo immolatus est Chri-

stus, figurabat, ab Angelo percuciente custodisti, ita mittere digneris Sanctum Angelum de caelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

§ XIV. *Alia benedictio Domorum, quocumque anni tempore facienda, cum aspersione aquae benedictae.*

Parochus, seu alii Sacerdotes volentes aliquam particolarem Domum, vel generaliter Domos fidelium alio tempore infra annum aspergere aqua benedicta, ingredientes Domum dicant: Pax huic Domui, et omnibus in ea habitantibus. Deinde loca aspergendo dicant Antiph. Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Psalmus

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri, etc. *et repetitur Antiph.* Asperges me Domine, etc.

℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Exaudi nos, Domine Sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, et mittere digneris Sanctum Angelum tuum de caelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habi-

tantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

§ XV. *Benedictio Domus novae, vel loci.*

Quando benedicitur Domus, accendatur una candela benedicta, et Crux antecedat.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis prae ceteris tantam gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne perfecteque ab his agitur, a te fieri credatur; Quaesumus immensam clementiam tuam, ut, quod modo visitaturi sumus, visites, quidquid benedicimus, bene✝dicas, et ad ea, quae acturi sumus, dexteram tuae potentiae extendas, fiatque ad nostrae humilitatis ingressum, et introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga Daemonum, et Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS

Domine Sancte Pater per merita N. bene✝dic Domum istam, bene✝dic introitum nostrum, bene✝dic ingressus pedum nostrorum: sicut dignatus es Domum Patrum nostrorum Abraham, Isaac, et Jacob, bene✝dicere. Oh Domine Jesu Christe, quaesumus, qui Discipulis tuis dixisti, in quamcumque Domum intraveritis, salutate

eam, dicentes, pax huic Domui; veniat pax illa super Domum istam, et super omnes famulos, et famulas tuas, qui eam inhabitant nunc, et inhabitaturi sunt, et eos ab omni infirmitate eripere, et liberare digneris, et replere centesimo fructu Vini, et Olei, et Frumenti; et in futurum illis aeternam concedere gloriam. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Bene✝dic, Domine, Domum istam, et locum istum cum aedificiis suis; et sit tibi sanitas, sanctitas, virtus, gloria, atque humilitas, bonitas, et mansuetudo, lenitas, et plenitudo legis, obedientiaque Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Haec benedictio sit super Domum, vel super locum istum, et super omnes habitantes in eo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sancti Angeli Dei descendant in hanc Domum, et eam defendant, et protegant ab omnibus Daemonibus, et facturis, per pietatem Dei semper. Amen.

Conserva, Domine, Domum istam, in aeternum impollutam, quam a spiritibus immundis flagellantibus, nunc mundo, purgo, ✠ benedico, et ✠ sanctifico. Egrediatur fons de Domo tua, Domine super Domum istam, ut irrigetur misericordia tua; et dic Angelo percutienti, cesset jam manus tua; appareat Majestas tua, et sancti✝ficet hoc habitaculum. S. Maria, invoco nomen tuum super hanc Domum et locum: Benedic eum, quia tu es Mater misericordiae, et consolatrix afflictorum: S. Pater N. exurge, et per

Passionem Jesu Christi benedic, et sanctifica hanc Domum, et locum istum, ut Daemones, et eorum maleficia non possint latere, neque stare in hac Domo, vel loco, nam ego N. Sacerdos Dei, et servus tuus, in tuo nomine destruo ✠ et annihilo ✠ facturas, et omnia maleficia facta, vel fienda in hac Domo, vel loco: et benedico ✠ et sanctifico ✠ hanc Domum, et locum ut Daemones, et facturae eorum, non possint stare, nec durare, sed nunc omnia destruantur, et deficiant: In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spi†ritus Sancti. Amen.

Peto, Domine, per tuam bonitatem, ut et domus, et locus iste sit benedictus ✠ a tua sancta dextera, et sit ignis ardens Daemonibus, ut semper fugiant confusi, nec ullo modo possint stare, nec latere, vel die, vel nocte, et omnes habitantes securi sint, et quiescant in tua pace, sine turbatione, vel strepitu, et sine aliquo nocumento diabolico, et tua Benedictio sit semper super Domum, et locum istum, et super omnes habitantes in eo, per te, Jesu Christe. Amen.

Pax, et Bene†dictio Sanctissimae Trinitatis, et S. N. Patrocinium descendat super domum hanc. Amen.

Et habitantes in hac domo per nomen Jesu possint devote orare, quiete dormire, comedere, bibere, et alia naturalia agere licite, et exercere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur aqua benedicta, et thurificetur.

§ XVI. *Benedictio domus, ne comburatur ab igne.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Defende, quaesumus, Domine, locum istum, vel Domum istam, a majoribus usque ad minimos, cum pecoribus, et rebus suis, abigne, ab infirmitate, et tempestate, ab ira ventura, ab omnibus tribulationibus diaboli, et ab insidiis inimici; et tu, Deus, sis habitator, et custos, et eam ab omni igne custodi. Per Christum, etc. ℟. Amen.

Aspergatur aquâ benedicta.

§ XVII. *Benedictio Domus a daêmone vexatae. In ingressu.*

℣. Adjutorium, etc.
℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum. etc.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne ab eis agitur, a te fieri credatur; quaesumus immensam clementiam tuam, ut, quod modo visitaturi sumus, visites; et quidquid benedicturi, benedicas, et ad ea, quae acturi sumus, dexteram tuae potentiae extendas; fiatque ad nostrae humilitatis ingressum,

et introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga Daemonum, et Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Procedit per loca Domus aspergendo aqua benedicta, et dicendo primos quinque Psalmos Graduales.

Psalmus 119.

Ad Dominum cum tribularer, clamavi, et exaudivit me.

Domine libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam dolosam?

Sagittae potentis acutae, cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolungatus est, habitavi cum habitantibus cedar: multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Psalmus 120.

Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino, qui fecit Caelum, et Terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua: super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te ; neque Luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo : custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum, ex hoc, nunc, et usque in saeculum.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Psalmus 121.

Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.

Jerusalem, quae aedificatur ut civitas : cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio : sedes super domum David.

Rogate, quae ad pacem sunt Jerusalem : et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua; et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, et proximos meos, loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri, quaesivi bona tibi.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 122.

Ad te levavi oculos meos, qui habitas, in Caelis.

Ecce sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum.

Sicut oculi ancillae in manibus Dominae suae: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, et despectio superbis.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 123.

Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel; nisi quia Dominus erat in nobis.

Cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos.

Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransivit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.

Laqueus contritus est, et nos liberati sumus.

Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit caelum, et terram.

Gloria Patri, etc.

Finitis psalmis consistat alicubi, et dicat:

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Domum tuam, Domine, clementer ingredere, et in tuorum tibi corde fidelium perpetuam construe mansionem; et praesta, ut in hac domo nulla malorum Spirituum dominetur nequitia. Per Christum Jesum Dominum nostrum, qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit in saecula saeculorum. Amen.

Procedat ulterius aspergendo, et dicendo alios quinque Psalmos Graduales.

Psalmus 124.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in aeternum, qui habitat in Jerusalem.

Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc, nunc, et usque in saeculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

Benefac Domine bonis, et rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem pax super Israel.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 125.

In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus laetantes.

Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

Euntes ibant, et flebant, mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Psalmus 126.

Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum; ecce haereditas Domini, Filii merces fructus ventris.

Sicut sagittae in manu potentis; ita Filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis; non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 127.

Beati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum, quia manducabis: beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuae.

Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion; et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitae tuae.

Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 128.

Saepe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel.

Saepe expugnaverunt me a juventute mea; etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: prolungaverunt iniquitatem suam.

Dominus justus concidit cervices peccatorum: confundantur, et convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.

Fiant sicut foenum tectorum, quod prius quam evellatur, exaurit.

De quo non implevit manum suam, qui metit: et sinum suum, qui manipulos colligit.

Et non dixerunt, qui praeteribant, benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini.

Gloria Patri, etc.

Quibus finitis consistat, et dicat. Kyrie eleison; etc. *ut supra.*

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni lo-

eo dominationis tuae totus assistis, totus operaris; adesto supplicationibus nostris; ut hujus Domus sis protector et nulla hic nequitia contrariae potestatis obsistat, sed virtute Spiritus Sancti fiat tibi hic purum servitium, et devota libertas existat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Procedat tertio per reliquas partes domus, dicendo alios quinque Psalmos Graduales.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine, Domine quis sustinebit.

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus, speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Psalmus 130.

Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam: sed exaltavi animam meam:

Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.

Speret Israel in Domino, ex hoc, nunc, et usque in saeculum. Gloria Patri, etc.

Psalmus 131.

Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus.

Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob.

Si introiero in tabernaculum domus meae: si ascendero in lectum strati mei;

Si dedero somnum oculis meis: et palpebris meis dormitationem:

Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino: tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audivimus eam in Ephrata; invenimus eam in campis sylvae.

Introibimus in tabernaculum ejus; adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.

Surge Domine in requiem tuam: tu, et arca sanctificationis tuae.

Sacerdotes tui induantur justitiam, et Sancti tui exultent.

Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui.

Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum: et testimonia mea haec, quae docebo eos;

Et filii eorum usque in saeculum sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion; elegit eam in habitationem sibi.

Haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.

Viduam ejus benedicens benedicam: pauperes ejus saturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam salutari: et Sancti ejus exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David; paravi lucernam Christo meo.

Inimicos ejus induam confusione; super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Gloriam Patri, etc.

Psalmus 132.

Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aron.

Quod descendit in oram vestimenti ejus sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in saeculum.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 133.

Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini.

Qui statis in domo Domini, in atriis Domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in Sancta: et benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit caelum, et terram.

Gloria Patri, etc.

In fine Kyrie eleison, etc. *ut supra.*

OREMUS

Deus qui in omni loco dominationis tuae dedicator assistis, exaudi nos quaesumus, ut inviolabilis hujus Domus permaneat benedictio, et beneficia tui muneris supplicantes mereamur. Per Christum, etc.

Tandem in principaliori loco Domus legatur Evangelium

℣. Dominus vobiscum, etc.

Sequentia S. Evangelii secundam Lucam

In illo tempore: ingressus Jesus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachaeus, et hic Princeps erat Publicanorum, et ipse erat dives, et quaerebat videre Jesum, quis esset, et non poterat prae turba, quia statura pusillus erat. Et praecurrens ascendit in arborem Sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, et dixit ad eum: Zachaee festinans descende, quia hodie in Domo tua oportet me manere, et festinans descendit, et excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset. Stans autem Zachaeus dixit ad Dominus; Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; et si quid aliquem defraudavi reddo quadruplum. Ait Jesus ad eum; quia hodie sa-

lus domui huic facta est: eo quod et ipse filius sit Abrahae. Venit enim Filius hominis quaerere, et salvum facere, quod perierat.

Quo lecto, benedicitur incensum.

Per intercessionem B. Michaelis Arcangeli stantis a dextris Altaris incensi, et omnium Sanctorum Angelorum, incensum istud digneris Domine bene†dicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum, etc.

Ponens Sacerdos incensum super ignem dicit.

℣. Incensum a te benedictum ascendat ad te Domine.

℟. Et descendat super nos misericordia tua.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Visita, quaesumus Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle. Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et bene†dictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum, etc.

Aspergat locum, et habitantes in modum Crucis, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis, Pa†tris, Fi†lii, et Spiritus † Sancti, descendat super Domum istam, et in ea habitantes, ac maneat semper. Amen.

§ XVIII. *Alia Benedictio Domus vexatae a daemone*
Flexis genibus dicatur Hymnus

Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita,

imple superna gratia, quae tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclytus, Altissimi Donum Dei, Fons vivus ignis charitas, et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere, digitus paternae dexterae, tu rite promissum Patris, sermonem ditans guttura.

Accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus, infirma nostri corporis, virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius, pacemque dones protinus; ductore sic te praevio, vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem, noscamus atque Filium, teque utriusque Spiritum, credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria, et Filio, qui a mortuis surrexit, ac paraclyto, in saeculorum saecula. Amen.

℣. Exurge Christe, et adjuva nos.

℟. Et libera nos propter nomen tuum.

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus

Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum.

Defende, quaesumus Domine, B. Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

ORATIO

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam contulisti, ut quidquid in nomine tuo digne, perfecteque agitur ab eis, a te fieri credatur, quaesumus immensam clementiam tuam, ut, quomodo visitaturi sumus, visites, et quidquid benedicturi, benedicas, et ad ea, quae acturi sumus, dexteram tuae potentiae extendas: sitque ad nostrae humilitatis ingressum, Sanctorum tuorum meritis, fuga daemonum, et Angeli pacis ingressus. Per Christum etc.

OREMUS

Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, et omnium bene viventium; Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, te invoco, et nomen sanctum tuum, ac praeclarae Majestatis tuae clementiam supplex deposco, ut mihi auxilium praestare digneris adversus nequissimum spiritum, ut ubicumque sit, audito nomine tuo velociter fugiat, et evanescat. Per Christum etc.

Adjuratio dicenda, cum pervenerit ad locum molestatum.

Adjuro†te, serpens antique, per Judicem vorum, et mortuorum, per Factorem Mundi habet potestatem mittere te in gehennam, ut hac Domo festinus discedas. Ipse tibi impe✠t maledicte Diabole, qui ventis, et mari, et t pestatibus imperavit. Ipse tibi impe✠rat, qu de supremis Caelorum in inferiora terrae deme praecepit. Ipse tibi imperat, qui te retrorsum al praecepit. Audi ergo Satana, et time, et vic et prostratus recede adjuratus in nomine Do ni nostri Jesu Christi, qui venturus est ju care vivos, et mortuos, et saeculum per igne Amen.

OREMUS

Adesto, Domine, supplicationibus nostris hanc Domum serenis oculis tuae pietatis i stra, et descendat super habitantes in ea g tiae tuae bene†dictio, ut in his factis taber culis cum salubritate manentes, tibi tutum semper habitaculum. Per Christum Domin nostrum. Amen.

OREMUS

Bene†dic, Domine, Domum istam; ben dic Domine, introitum nostrum; bene†d Domine, ingressus pedum nostrorum, sicut gnatus es Domum Patrum nostrorum Abrah Isaac et Jacob benedicere. Quaesumus, Do ne; Jesu Christe, qui Discipulis tuis dixis

in quamcumque Domum intraveritis, salutate eam dicentes: Pax huic domui, ut veniat pax illa super domum istam, et omnes famulos, ac famulas tuas, et eos, Domine, ab omni infirmitate liberare, et eripere digneris, et reple eos fructu centesimo Vini, Olei, et Frumenti, et in futuro illis aeternam concede gloriam. Qui vivis, et regnas etc.

OREMUS

Bene✝dic, quaesumus Domine, Deus omnipotens, locum istum cum edificiis suis, ut sit ibi sanctitas, sanitas, virtus, et gloria, atque humilitas, bonitas, et mansuetudo, lenitas, et plenitudo legis, obedientiaque Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Haec benedictio sit super hunc locum, et super omnes habitantes in eo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMUS

Te Deum Patrem omnipotentem oramus pro hac domo, et pro habitantibus in ea, hac spe, ut sanctificare digneris, ut sint promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud; tribue eis de rore caeli abundantiam, et de pinguedine vitae substantiam, et desiderium cordis, et vota eorum ad effectum tuae miserationis perducas, introitum vero bene✝dicere digneris, ut bene✝dicere dignatus es Abraham, Isaac, et Jacob, et infra parietes domus istius Angelus lucis inhabitet. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMUS

Protector in te sperantium Deus, et subditorum trementium custos, habitantibus in hac domo famulis, et famulabus tuis propitius adesse digneris, ut veniat super eos semper tuae benedictionis infusio, ut, pietatis tuae nunc repleti muneribus, tua gratia semper in tuo nomine laeti exultent. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMUS

Exaudi nos, Domine Sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, ut si quae adversa, et si quae contraria sunt in hac domo, auctoritate Majestatis tuae expellantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde procedat per loca domus aspergendo eo Aqua Benedicta: et dicat primos quinque sequentes Psalm. Graduales cum Gloria Patri, etc.

Psalm. Ad Dominum cum tribularer clamavi, etc. *sicut supra in priori Benedictione* § XVII. *pag.* 63.

Psal. Levavi oculos meos in montes, etc.

Psal. Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, etc.

Psal. Ad te levavi oculos meos, etc.

Psal. Nisi quia Dominus erat in nobis, etc.

Finitis Psal. consistat alicubi, et dicat *Kyrie eleison etc.* sicut in priori benedictione cum Pater noster, Versib. et Oratione.

Procedat ulterius aspergendo, et dicendo quinque P salmos Graduales.

Psal. Qui confidunt in Domino, etc. *ut in priori benedictione.*

Psal. In convertendo Dominus captivitatem Sion, etc.

Psal. Nisi Dominus aedificaverit domum, etc.

Psal. Beati omnes, qui timent Dominum, etc.

Psal. Saepe expugnaverunt me etc.

Quibus finitis consistat, et dicat *Kyrie eleison*, ut supra in priori Benedictione cum Oratione.

Procedat tertio per reliquas partes domus, dicendo alios quinque Psalm. Graduales.

Psal. De profundis clamavi ad te Domine, etc. *ut in priori Benedictione.*

Psal. Domine non est exaltatum, etc.

Psal. Memento Domine David, etc.

Psal. Ecce quam bonum, etc.

Psal. Ecce nunc benedicite Dominum, etc.

In fine *Kyrie eleison*, etc. cum Oratione ut in priori Benedictione.

Tandem in principaliori loco Domus legat sequentia Evangelia.

℣. Dominus vobiscum, etc.

Initium sancti Evangelii secundum Joannem.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux ho-

minum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes: Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine: Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae, et veritatis. ℟. Laus tibi Christe.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judae in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes: ubi est, qui natus est rex Judaeorum? vidimus enim Stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. Audiens autem Herodes Rex turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo; Et congregans omnes Principes Sacerdotum, et Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At

illi dixerunt ei: In Bethlehem Judae: sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda: ex te enim exiet Dux; qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellae, quae apparuit eis, et mittens illos in Bethlehem dixit: Ite, et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis, renunciate mihi, ut et ego veniens adorem eum. Qui cum audissent Regem abierunt. Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria Matre ejus, et procidentes adoraverunt eum. Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, Aurum, Thus, et Myrrham. Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. ℟. Laus tibi Christe.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galileae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de Domo David, et nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quae cum audisset;

turbata est in sermone ejus, et cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria: invenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit Magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in Domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet illud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit Filium in senectute sua; et hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.

℟. Laus tibi Christe.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore ingressus Jesus perambulabat Jerico, et ecce vir nomine Zachaeus, etc. *uti in priori benedictione* *p. 72.* *Quo absoluto.*

℟. Laus tibi Christe.

Deinde benedicitur Incensum hoc modo:

Per intercessionem Beati Michaelis Archangeli stantis a dextris Altaris incensi, et omnium electorum suorum, Incensum istud dignetur.

Dominus bene✝dicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

OREMUS

Visita, quaesumus Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et Bene✝dictio tua sit super nos semper. Per Dominum nostrum, etc.

Postea facit signum Crucis super Domum, et in ea habitantes, dicendo:

Signum salutis impone Domine super hanc Domum, et non permittas introire in eam Angelum percutientem. In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Aspergat Domum, vel locum, et habitantes in modum Crucis, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti, descendat super Domum istam, et omnes in ea habitantes, et maneat semper. Amen.

§ XIX. *Benedictio Agni paschalis.*

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, qui per famulum tuum Moysem in liberatione populi tui de Ægypto, Agnum occidi jussisti, in similitudinem Domini nostri Jesu

Chrsiti, et utrosque postes Domorum de Sanguine Agni perungi praecepisti, ita bene✝dicere, et sancti✝ficare digneris hanc creaturam Carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus, per Resurrectionem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit, et regnat etc.

Et mox aspergat aqua benedicta.

§ XX. *Benedictio Ovorum.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

ORATIO

Subveniat quaesumus Domine, tuae Bene✝dictionis gratia huic Ovorum creaturae, ut cibus salubris fiat fidelibus tuis, in tuarum gratiarum actionem sumentibus, ob Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, qui vivit, et regnat, etc.

Aspergatur etc.

§ XXI. *Benedictio Carnium quarumcumque.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui es verus, ac immaculatus Agnus: quique immaculatus in ara Crucis peccata mundi delevisti, et nos ad Ovile propriis humeris reportasti, has Carnes, quas ad usus hominum creasti, bene✝-

dicere, et sancti┼ficare digneris; ut omnes ex eis sumentes tuis Benedictionibus repleti, et animae, et corporis sanitatem (te annuente) semper accepisse laetentur, Salvator mundi. Qui vivis, et regnas, etc.

OREMUS

Deus universae Carnis qui Noe, et filiis suis, de mundis, et immundis animalibus praecepta dedisti, quique sicut olera herbarum humano generi, quadrupedia munda manducare permisisti, qui Agnum in Ægypto Moysi, et populo tuo in vigilia Paschae comedere praecepisti, in figuram Agni Domini nostri Jesu Christi, cujus sanguine omnia primogenita tibi de mundo redemisti, et Angelo juvante in nocte illa omne primogenitum in Ægypto percutere praecepisti, servans populum tuum, Agni sanguine praenotatum: Dignare, quaesumus Domine, Deus omnipotens, bene┼dicere, et sancti┼ficare has Carnes, ut quicumque de tuis fidelibus populis ex eis comederint, omni Benedictione caelesti, tua perenni repleti gratia, satientur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Aspergatur etc.

§ XXII. *Benedictio Panis.*

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe. Panis Angelorum; Pa-

nis vivus aeternae vitae, bene✝dicere dignare Panem istum, sicut benedixisti quinque Panes in deserto, ut omnes ex eo gustantes, inde corporis, et animae percipiant sanitatem. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen. *Aspergat aqua benedicta.*

§ XXIII. *Alia Benedictio Panis*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine, Sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, bene✝dicere digneris hunc Panem tua sancta spirituali Benedictione, ut sit omnibus sumentibus salus mentis, et corporis, atque contra omnes morbos, et universas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Panem vivum, qui de caelo descendit, et dat vitam, et salutem mundo, et tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen. *Et aspergat aqua benedicta.*

§ XXIV. *Benedictio ad quodcumque comestibile.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Bene✝dic, Domine, creaturam istam N. ut sit remedium salutare generi humano, et praesta per invocationem sancti Nominis tui, ut quicumque

ex ea sumpserint, corporis sanitatem, et animae tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. *Aspergat aqua benedicta.*

Vide infra § 54. rursus aliam benedictionem.

§ XXV. *Benedictio Carnium, Ovorum, et comestibilium omnium.*

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui es verus et immaculatus Agnus, quique immaculatus in ara Crucis peccata mundi delevisti, et nos ad ovile propriis humeris reportasti, has carnes vel hanc creaturam ovorum, vel etc. quas ad usus hominum creasti bene†dicere, et sancti†ficare digneris, ut omnes ex eis sumentes, tuis benedictionibus repleti, et Animae, et corporis sanitatem, te annuente, semper se accepisse laetentur, Salvator mundi. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Deus universae carnis, qui Noe, et filiis suis, de mundis, et immundis animalibus praecepta dedisti, quique sicut olera herbarum humano generi, quadrupedia munda manducare permisisti, qui agnum in Ægypto Moysi, et populo tuo in vigilia Paschae comedere praecepisti, in figuram Agni Domini nostri Jesu Christi, cujus sanguine omnia primogenita tibi de mundo redemisti, et Angelo juvante, in nocte illa omne primogenitum in Ægypto percutere praecepisti, servans po-

pulum tuum Agni sanguine praenotatum: Dignare, quaesumus Domine, Deus omnipotens, bene✝dicere, et sanctifi✝care has Carnes ovium, vel haedorum, vel avium, vel quascumque Carnes, ut quicumque de tuis fidelibus populis ex eis comederint, omni Benedictione caelesti, et tua perenni repleti gratia satientur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen. *Conspergantur aqua benedicta.*

§ XXVI. *Benedictio Avium.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Domine exaudi orationem meam etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus universae creaturae, qui inter ceteras diversarum creaturarum species, et pro humani generis usu etiam volatilium genus ex aqua producere dignatus es, quibus Noe de Arca egrediens, holocausta tibi offerens, placuit, et qui populo tuo ex Aegypto educto per Moysem servum tuum munda ab immundis segregans, edendi, praeceptum dedisti, te supplices rogamus, ut has mundarum Avium Carnes bene✝dicere, et sanctifi✝care digneris, ut quicumque ex eis comederint, Benedtctionis tuae abundantia repleantur, et ad aeternae vitae gaudia pervenire mereantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. *Aspergantur aqua benedicta.*

§ XXVII. *Benedictio Rosarum Sanctissimi Rosarii.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus Creator, et Conservator generis humani, dator gratiae spiritualis, et largitor aeternae salutis, Benedictione tua sancta benedic Rosas, quas pro gratiis tibi exsolvendis cum devotione, ac veneratione Beatae semperque Virginis Mariae hodie tibi praesentamus, et petimus benedici: et infunde in eis per virtutem Sanctae Crucis ✝ benedictionem caelestem: et qui eas ad odoris suavitatem, et repellendas infirmitates humano usui tribuisti, talem signaculo Sanctae Crucis ✝ benedictionem accipiant, ut, quibuscumque infirmitatibus appositae fuerint, seu qui eas in domibus suis, vel locis cum devotione habuerint, portaverint, infirmitates sanentur, discedant diaboli, contremiscant, et fugiant pavidi cum suis ministris, de habitationibus illis, nec amplius saevientes inquietare praesumant. Per Christum etc.

Aspergantur etc.

§ XXVIII. *Benedictio liliorum in festo S. Antonii.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, a quo omne bonum sumit initium, et semper ad potiora progrediens, percipit incrementum, concede quaesumus, supplicantibus nobis, ut quod ad laudem nominis tui inchoare aggredimur, aeterno tuae paternae Sapientiae munere perducatur ad terminum. Per Christum Dominum nostrum, etc. *Postea*

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum.*

In illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: Nemo potest duobus Dominis servire; aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire, et Mammonae. Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animae vestrae, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini: Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum? Respicite volatilia Caeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester caelestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt; non laborant, neque nent. Dico autem vobis; quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis. Si autem foenum agri, quod hodie est, et cras in

clipanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicae fidei? Nolite ergo soliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Haec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quaerite ergo primum Regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis.

℟. Laus tibi Christe.

℣. Justus germinabit sicut Lilium.

℟. Et florebit in aeternum ante Dominum.

℣. Domine exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus Creator, et conservator generis humani, candidae puritatis amator, dator gratiae spiritualis, et largitor aeternae salutis, bene✝dictione tua sancta bene✝dic haec Lilia, quae pro gratiis exolvendis, in honorem S. Antonii Confessoris tui, supplices hodie tibi praesentamus, et petimus benedici. Infunde in eis salutari signaculo Sanctissimae ✝ Crucis rorem caelestem. Tu, benignissime, qui ea, ad odoris suavitatem, et ad depellendas infirmitates humano usui tribuisti, tali virtute decora, reple, confirma, ut quibuscumque morbis apposita, seu in domibus, locisque posita, vel a quovis, cum devotione secum portata fuerint, languores fugentur, diabuli contremiscant, et recedant pavidi cum suis ministris de habitationibus illis, nec unquam tibi servientes inquietare praesumant; eodem Divo famulo tuo

glorioso, nec non et miraculoso, pro nobis intercedente. Per Dominum nostrum etc.

Aspergantur: Deinde flexis genibus dicatur:

Si quaeris Miracula, Mors, Error, Calamitas, Daemon, Lepra fugiunt, Aegri surgunt sani. Cedunt Mare, Vincula, Membra, Resque perditas petunt, et accipiunt juvenes, et cani. Pereunt pericula, cessat et necessitas: narrent hi, qui sentiunt; dicant Paduani. Cedunt Mare, Vincula, Membra, Resque perditas petunt, et accipiunt juvenes, et cani. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: Cedunt Mare, Vincula, Membra, Resque perditas petunt, et accipiunt juvenes, et cani.

℣. Ora pro nobis B. Antoni.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

Subveniat plebi tuae, quaesumus Domine, praeclari Confessoris tui B. Antonii devota, et jugis deprecatio, quae in praesenti nos tua gratia dignos efficiat, et in futuro gaudia donet aeterna. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

§ XXIX. *Benedictio Herbarum in festo Assumptionis B. M. Virginis.*

Absoluta aspersione, si festum venerit in Dominica, alioquin immediate ante majorem Missam, officians pluviali solemni indutus, ante Altare, conversus ad populum tenentem herbas, vel fructus, incipit voce intelligibili.

℣. Adjutorium nostrum etc.

Deinde dicat Psalmum 64.

Te decet hymnus Deus in Sion: et tibi reddetur votum in Hierusalem.

Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum praevaluerunt super nos: et impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus, quem elegisti, et assumpsisti? inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuae; sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate.

Exaudi nos Deus salutaris noster: spes omnium finium terrae, et in mari longe.

Praeparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, et timebunt, qui habitant terminos a signis tuis: exitus matutini, et vespere delectabis.

Visitasti terram, et inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum; quoniam ita est praeparatio ejus.

Rivos ejus inebria: multiplica genimina ejus; in stillicidiis ejus laetabitur germinans.

Benedices coronae anni benignitatis tuae, et campi tui replebuntur ubertate.

Pinguescent speciosa deserti: et exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent. Gloria Patri, etc.

℣. Dominus dabit benignitatem.
℟. Et terra nostra dabit fructum suum.
℣. Rigans montes de superioribus suis.
℟. De fructu operum tuorum satiabitur terra.
℣. Producens foenum jumentis.
℟. Et herbam servituti hominum.
℣. Ut educas panem de terra.
℟. Et vinum laetificet cor hominis.
℣. Ut exhilaret faciem in oleo.
℟. Et panis cor hominis confirmet.
℣. Misit verbum suum, et sanavit eos.
℟. Et eripuit eos de omnibus interitionibus eorum.
℣. Domine exaudi orationem meam, etc.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui Caelum, terram, mare, visibilia, et invisibilia verbo tuo ex nihilo creasti; quique herbas, arboresque ad usus hominum, animaliumque terram gignere, et unumquodque juxta sementem in semetipso fructum habere praecepisti: atque non solum, ut herbae animantibus ad victum, sed aegris etiam corporibus prodessent ad medicamentum, tua ineffabili pietate concessisti; te supplici mente, et ore deprecamur, ut has diversi generis herbas, et fructus, tua clementia bene✝dicas, et supernaturalem a te indutam virtutem eis benedictionis tuae novae gratia infundas, ut ad usum hominibus, et jumentis in nomine tuo applicatae, omnium morborum, et adversitatum efficiantur praesidium. Per Dominum nostrum etc.

OREMUS

Deus, qui per Moysem famulum tuum mandasti filiis Israel, ut manipulos novarum frugum benedicendos deferrent ad Sacerdotes, tollerentque fructus arboris pulcherrimae, et laetarentur coram te Domino Deo suo; adesto propitius invocationibus nostris, et infunde tuae bene✝dictionis abundantiam super nos, et super manipulos novarum frugum, uvarum, herbarum, et fructuum collectionem, quae cum gratiarum actione, tibi repraesentamus, et in nomine tuo in hac solemnitate bene✝dicimus, et concede, ut hominibus, pecoribus, pecudibus, et jumentis contra morbos, pestes, ulcera, maleficia, incantationes, veneficia serpentum, et aliorum venenosorum animalium, et bestiarum morsus, nec non quaecumque venena, remedium praestent; atque contra diabolicas illusiones, et machinationes, et fraudes tutamen ferant, in quocumque loco positum, vel portatum, aut habitum aliquid ex eis fuerit. Quatenus cum manipulis bonorum operum, meritis Beatae Mariae Virginis, cujus Assumptionis Festum colimus, quo ipsa assumpta est, suscipi mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc.

OREMUS

Deus, qui virgam Jesse, Genitricem Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, hodierna die ad Caelorum fastigia ideo evexisti, ut per ejus Suffragia, et Patrocinia fructum ventris illius, eumdem Filium tuum, mortalitati nostrae communi-

cares, te supplices exoramus, ut ejusdem Filii tui virtute, ejusque Genitricis gloriosae Patrocinio, istorum terra fructuum praesidiis, per temporalem, ad aeternam salutem disponamur. Per eumdem Dominum nostrum, etc.

Et Benedictio Dei omnipotentis, Pa ✝ tris, et Fi ✝ lii, et Spi ✝ ritus Sancti, descendat super has Creaturas, et maneat semper. ℟. Amen.

Postea thurificentur Herbae, et aqua benedicta aspergantur.

§ XXX. *Benedictio Rosarum, Rutae, Absynthii etc. et quarumcumque herbarum, extra Festum Assumptionis B. Virginis.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui dixisti germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum, faciens fructum juxta genus suum: sic, propter Nomen sanctum tuum magnum, et glorificatum in terra, et in Caelo, pone dexteram tuam plenam larga Benedictione super has herbas N. N., et reple eas cunctis Benedictionibus, prout ego N. Sacerdos tuus, in tuo sancto Nomine Tetragrammaton, et Servi tui Ubaldi, et Antonii de Padua, eas exorcizo ✝, benedico ✝, sanctifico ✝, ut ubicumque collocatae fuerint, sive in domibus, sive in tectis, vel in cubiculis, vel super

se habuerit obsessus, vel odoraverit; vel si qui fuerit ex his fumigatus, vel in balneo lotus, vel in quibuscumque locis fuerint, per omnipotentiam tuam, et Passionem Filii tui, et Domini nostri Jesu Christi elongetur ab eis omne malum, omne periculum, omnes virtutes, et opera Sathanae, et ego per eum, qui dat herbam servituti hominum, has Herbas N. N. bene✝dico, sancti✝fico ad fugandos Daemones, ad destruendum omne maleficium, et ad annihilandum incantamentum, ligamen, facturas, et omnia opera Sathanae a corporibus hominum, et a quibusvis locis, omne opus Diaboli factum, vel faciendum; ita ut ibi nulla habitatio, nulla virtus Diaboli sit in his Herbis: sed in nomine Jesu, et Sancti Ubaldi, ac Sancti Antonii de Padua, quorum nomen, et virtutem invoco super has Herbas, recedant confusi, maledicti, et vadant in barathrum, cum omnibus operibus suis haereticalibus, et inhabitent S. Angeli Dei, ut recipiant sanitatem. In nomine Pa✝tris, et Fi✝ii, et Spiritus ✝ Sancti. Amen. *Aspergantur aqua benedicta.*

§ **XXXI.** *Benedictio Seminum et Segetum in festo Nativitatis B. V. Mariae.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Domine exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne

Deus, petimus, ac rogamus, ut hos fructus Segetum, ac Seminum tuis serenis oculis, hilarique vultu aspicere digneris, et sicut testatus es Moysi famulo tuo in terra Aegypti dicens: dic filiis Israel, cum ingressi fuerint terram Promissionis, quam eis dabo, ut primitias fructuum suorum offerant Sacerdotibus, et erunt benedicti; sic et nos rogamus te, Domine, ut per auxilium misericordiae tuae emittas super hunc fructum Segetum, dexterae tuae bene✝dictionem, quam ad exhibendum proferre digneris, ut non subruat grando, nec aeris inundatio exterminet, sed semper incolumis permaneat, propter usum animarum, et corporum, et ad bene abundantem, et plenissimam maturitatem perducere digneris. Qui in Trinitate perfecta vivis, et regnas in saecula saeculorum. Amen.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, Caelestis verbi seminator, et cultor, qui nostri cordis aream spiritualibus rastris exerces, adesto propitius precibus nostris, et super Agros, quibus fuerint semina insita, tuam largam Bene✝dictionem infunde, ac ab eis omnem vim procellarum gratia tuae defensionis averte, ut omnis hic fructus, et tua benedictione repleatur, et ad horrea sine impedimento perveniat. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc. *Aspergantur aqua benedicta, et si fieri potest, thurificentur.*

§ XXXII. *Alia benedictio Seminum communis.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.

OREMUS

Te, Domine, petimus, ac rogamus, ut Grana seminum, frumenti, siliginis, hordei, avenae, ac aliorum cujuscumque generis, extant, tuis oculis serenis, hilarique vultu aspicere digneris. Sicut autem per Moysem famulum tuum populo tuo pollicitus es dicens: Aperit Dominus thesaurum suum optimum Caelum, ut tribuat pluviam terrae suae in tempore suo, benedicatque cunctis operibus manuum suarum; ita oramus, Domine, ut nobis misericorditer praestes auxilium gratiae tuae, et super haec seminum Grana bene✝dictionem tuam benignus effundas; non ea volucres caeli surripiant, non turbo subvertat, nec vis tempestatis, grandinumque excrescentia detruncet, nec aeris serenitas, aut inundatio pluvialis exterminet, sed incolumia, et superabundantia propter usum hominum ad plenissimam maturitatem perducere digneris. Per Christum etc.

§ XXXIII. *Benedictio seminis Bombicum.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Domine exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Creator omnium Deus; qui semina fructificare, et multiplicare facis, et in usus nostros miseri-

corditer concedis pervenire, intercedente beato Jacobo Apostolo tuo supplicationes nostras placatus intende; et haec Semina vermiculorum, qui sericum condunt, bene†dicere, et sancti†ficare tua benignitate digneris, ut copiosos mittant effectus suos: Quatenus ad Ecclesiae tuae, Sanctorumque Altarium tuorum decorem, et ornatum atque, etiam ad usus nostros perveniat: Per Christum Dominum nostrum. Amen. *Conspergantur aqua benedicta.*

§ XXXIV. *Benedictio ad initium alicujus Boni Operis.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℟. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, a quo omne bonum sumit initium, et semper ad potiora progrediens, percipit incrementum; concede, quaesumus, supplicantibus nobis; ut quod ad laudem nominis tui inchoare aggredimur, aeterno tuae paternae Sapientiae munere perducatur ad terminum. Per Christum, etc.

§ XXXV. *Benedictio Possessionum, et Vinearum, Agrorum, nec non et Segetum quarumcumque.*

Sacerdos indutus Superpelliceo, et Stolá (prout fieri poterit) se sistat in loco, ubi conspiciat latitudinem terrae benedicendae, et facta aqua benedicta, genuflexus, et signo Crucis munitus, dicat Antiphonam.

Te Deum Patrem Ingenitum, te Filium Unigenitum, te Spiritum Sanctum Paraclytum, Sanctam, et individuam Trinitatem, toto corde, et ore confitemur, laudamus, atque benedicimus. Tibi gloria in saecula.

Postea Hymnum.

Te Deum laudamus, *usque ad finem.*
℣. Verbo Domini Caeli firmati sunt.
℟. Et Spiritu oris ejus omnia virtus eorum.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc, nunc, et usque in saeculum.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione verae Fidei, aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare Unitatem, quaesumus, ut ejusdem Fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis.

Deinde dicat Litanias B. V. MARIÆ.

Kyrie eleison, Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de caelis Deus, miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Christi,
Mater Divinae Gratiae,
Mater Purissima,
Mater Castissima,
Mater Inviolata,
Mater Intemerata,
Mater Amabilis,
Mater Admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo Prudentissima,
Virgo Veneranda,
Virgo Praedicanda,
Virgo Potens,
Virgo Clemens,
Virgo Fidelis,
Speculum Justitiae,
Sedes Sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas Spirituale,
Vas Honorabile,
Vas Insigne devôtionis,
Rosa Mystica,
Turris Davidica,
Turris Eburnea,
Domus Aurea,

Foederis Arca,
Janua Caeli,
Stella Matutina,
Salus Infirmorum,
Refugium Peccatorum,
Consolatrix Afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium.

Ora pro nobis

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Sub tuum praesidium confugimus, Sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa, et benedicta.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Domine exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Concede, quaesumus omnipotens Deus, ut in-

tercessio sanctae Dei Genitricis Mariae, Sanctorumque omnium Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, et omnium electorum tuorum, nos ubique laetificet; ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

Surgat, et eundo per quatuor latera Arvorum distribuat sequentes preces in hunc modum. Dum vadit ad primum latus dicat Psalmum 79.

Psalmus 79.

Qui regis Israel, intende: qui deducis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephräim, Beniamin, et Manasse.

Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos.

Deus converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui?

Cibabis nos pane lacrymarum; et potum dabis nobis in lacrymis in Mensura.

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: et inimici nostri subsannaverunt nos.

Deus virtutum converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Vineam de Aegypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam.

Dux itineris fuisti in conspectu ejus, plantasti radices ejus, et implevit terram.

Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei.

Extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus.

Ut quid detruxisti maceriam ejus? et vindemiant eam omnes, qui praetergrediuntur viam?

Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam.

Deus virtutum convertere: respice de Caelo, et vide, et visita vineam istam.

Et perfice eam, quam plantavit dextera tua, et super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Incensa igni, et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.

Fiat manus tua super virum dexterae tuae, et super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Et non discedimus a te: vivificabis nos, et nomen tuum invocabimus.

Domine Deus virtutum converte nos: et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Psalmus 53.

Deus in nomine tuo salvum me fac, et n virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam, et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animae meae.

Averte mala inimicis meis, et in veritate tua disperde illos.
Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.
Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, et super inimicos meos despexit oculus meus.
Gloria Patri, etc.

Psalmus 84.

Benedixisti Domine terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.
Remisisti iniquitatem plebis tuae, operuisti omnia peccata eorum.
Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuae.
Converte nos Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis.
Numquid in aeternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?
Deus tu conversus vivificabis nos, et plebs tua laetabitur in te.
Ostende nobis Domine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.
Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam:
Et super Sanctos suos: et in eos qui convertuntur ad cor.
Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.
Misericordia, et veritas obviaverunt sibi: Justitia, et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est; et justitia de Caelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem; et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos. Gloria Patri, et Filio etc.

Stando autem subjungat

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, etc.

℣. Domine exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, ac misericors Pater, aspice, precamur nostram quotidianam indigentiam, et messem sufficientem victui nostro benigniter elargire: magnifica super nos nomen sanctum tuum, et super Agros, et Vineas Nostras copiosissimam tuam Bene✠dictionem infunde: ut arbores,cunctique labores famulorum tuorum, plene fructificent. Averte, piissime Deus, a finibus nostris, noxia sidera, tempestates, frigora, grandines, imbres, aquarum alluviones, et quidquid mali, quod humanis subsidiis nocere possit. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Dominus vobiscum, etc.

Sequentia S. Evang. secundum Matthaeum.

℟. Gloria tibi Domine.

Et signat se in fronte, ore, et pectore.

Quod servatur etiam in aliis Evang.

In illo tempore, abiit Jesus per sata Sabbato; Discipuli autem ejus esurientes coeperunt

vellere spicas, et manducare. Pharisaei autem videntes, dixerunt ei: Ecce Discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere Sabbatis: at ille dixit eis: Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, et quid cum eo erant; Quomodo intravit in Domum Dei, et Panes Propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus? At non legistis in lege, quia Sabbathis Sacerdotes in templo Sabbatum violant, et sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia templo major est hic. Si autem sciretis quid est; misericordiam volo, et non sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes. Dominus enim est Filius hominis, etiam Sabbati.

℟. Laus tibi Christe.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Bene†dicat nos Deus, Deus noster, bene†dicat nos Deus, et terrae nostrae ubertatem concedat, in centuplum crescere faciat fructus ejus, ut viventes in exultatione, manipulos nostros cum gratiarum actione colligamus. Per Christum Dominum nostrum, etc.

Dicatur Exorcismus.

Conjuro vos aereas tempestates, per Deum vivum†, per Deum verum†, per Deum Sanctum†, ut non jactetis grandines, et tempestates in possessionibus, et finibus nostris, et non dixeri-

tis ante Tribunal Christi, quod nemo vobis contradixerit. Ego enim praecipio vobis in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † Sancti, ut non jactetis grandines, et tempestates in finibus nostris; sed ea projiciatis per fluvium, vel immergatis in mari sine damno alicujus personae. Amen.

Deinde aliquibus arboribus figantur Cruces ex Olivo, et Cera benedicta.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Pietatem tuam quaesumus, omnipotens Deus, ut has fruges, quas aeris, et pluviae temperamento nutrire dignatus es, bene†dictionis tuae imbre perfundas, tribue Domine Populo tuo, de tuis muneribus tibi semper rependere gratias, et a sterilitate terrae, esurientium animas bonis affluentibus replendo averte; ut egenus, et dives aeternaliter laudent nomen gloriae tuae. Per Christum Dominum nostrum, etc.

Aspergatur illa pars Camporum aqua benedicta, dicendo, Asperges me, etc.

Pergendo ad secundum latus dicat Psalm 103.

Psalmus 103.

Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer.

Confessionem, et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.

Extendens Caelum sicut pellem: qui tegis aquis superiora ejus.

Qui ponis nubem ascensum tuum ; qui bulas super pennas ventorum.

Qui facis Angelos tuos Spiritus , et minis tuos ignem urentem.

Qui fundasti terram super stabilitatem sua non inclinabitur in saeculum saeculi.

Abyssus , sicut vestimentum ; amictus ej super montes stabunt aquae.

Ab increpatione tua fugient ; a voce toni tui formidabunt.

Ascendunt montes , et descendunt campi locum , quem fundasti eis.

Terminum posuisti , quem non trasgredient neque convertentur operire terram.

Qui emittis fontes in convallibus : inter dium montium pertransibunt aquae.

Potabunt omnes bestiae agri ; expectab onagri in siti sua.

Super ea volucres Caeli habitabunt: de me petrarum dabunt voces.

Rigans montes de superioribus suis ; de ctu operum tuorum satiabitur terra.

Producens faenum jumentis, et herbam se tuti hominum.

Ut educas panem de terra , et vinum lae cet cor hominis.

Ut exhilaret faciem in oleo: et panis cor minis confirmet.

Saturabuntur ligna campi , et cedri Liba quas plantavit : illic passeres nidificabunt.

Herodii domus dux est eorum: montes ex si cervis ; petra refugium herinaciis.

Fecit Lunam in tempore: Sol cognovit occasum suum.

Posuisti tenebras, et facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiae sylvae.

Catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quaerant a Deo escam sibi.

Ortus est Sol, et congregati sunt: et in cubilibus suis collocabuntur.

Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperum.

Quam magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.

Hoc mare magnum, et spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus.

Animalia pusilla cum magnis: illic naves pertransibunt.

Draco iste, quem formasti ad illudendum ei: omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore.

Dante te illis, colligent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.

Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.

Emittes spiritum tuum, et creabuntur: et renovabis faciem terrae.

Sit gloria Domini in saeculum: laetabitur Dominus in operibus suis.

Qui respicit terram: et facit eam tremere: qui tangit montes, et fumigant.

Cantabo Domino in vita mea, psallam meo quamdiu sum.

Jucundum sit ei eloquium meum, ego delectabor in Domino.

Deficiant peccatores a terra, et iniqui il non sint: benedic anima mea Domino.

Gloria Patri, et Filio etc.

Psalmus 119.

Ad Dominum cum tribularer clamavi, et divit me.

Domine libera animam meam a labiis ini et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur til linguam dolosam?

Sagittae potentis acutae, cum carbonibu solatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatu habitavi cum habitantibus Cedar: multum i fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacil cum loquebar illis, impugnabant me grati

Gloria Patri, etc.

Psalmus 111.

Beatus vir, qui timet Dominum, in mar ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus generati ctorum benedicetur.

Gloria, et divitiae in domo ejus: et ju ejus manet in saeculum saeculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis: m cors, et miserator, et justus.

Jucundus homo, qui miseretur, et commodat, disponet sermones suos in judicio, quia in aeternum non commovebitur.

In memoria aeterna erit justus: ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus: non commovebitur, donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in saeculum saeculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet, et tabescet, desiderium peccatorum peribit.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Et stando ut supra dicat:

℣. Ostende nobis Domine misericordiam etc.

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Bene✝dic Domine terram istam: ut det fructum bonum, et sanctum in tempore suo: nam ego in nomine tuo, et S. Ubaldi, ac S. Antonii Padumni eam bene✝dico, et sancti✝fico, ut nullus Spiritus possit eam turbare. In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

℣. Dominus vobiscum, etc.

✠ *Sequentia S. Evangelii secundum Marcum.*

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Videte quid audiatis; in qua mensura mensi fue-

ritis, remetietur vobis, et adjicietur vobis;
enim habet, dabitur illi: et qui non ha
etiam quod habet, auferetur ab eo. Et dic
sic est Regnum Dei, quemadmodum si h
jaciat sementem in terram, et dormiat, et e
gat nocte, et die, et semen germinet, et in
scat, dum nescit ille; ultro enim terra fr
ficat, primum herbam, deinde spicam, de
plenum frumentum in spica: et cum ex se
duxerit fructus, statim mittit falcem, quo
adest messis. Et dicebat: Simile est Reg
caelorum grano sinapis, quod cum semin
fuerit in terra, minus est omnibus semini
quae sunt in terra: et cum natum fuerit, a
dit in arborem, et fit majus omnibus oler
et facit ramos magnos, ita ut possint sub
bra ejus aves caeli habitare.

℟. Laus tibi Christe.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Sancte, Pater Omnipotens, aet
Deus, supplices te deprecamur, ut miseri
dia tua jugiter nobis concedas sufficientem
sem, copiam fructuum, omnium rerum largit
tribuas, vinearum quoque substantiam abundan
arborum foetus, proventusque omnium re
dones, atque ab ipsis omnibus pestiferum s
tempestatis procellam, grandinis fragorem
universa noxia amovere digneris. S. Ubaldo
S. Antonii Paduane, rogo te, ut bene✝dicas
sancti✝fices hanc terram, Segetes ✝, Arbore

Vineas ✝, fruges ✝, fructus ✝, herbas ✝ bonas, et Legumina ✝, ne possit ullus daemon super haec omnia. In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Dicatur conjuratio.

Conjuro vos nubes, et grandines, seu tempestates, ac vobis praecipio per Deum Patrem ✝, per Deum Fi✝lium; per Deum Spiritum ✝ Sanctum, qui sunt in substantia Unus Deus; per Potentiam Patris, per Sapientiam Filii; per Amorem Spiritus Sancti procedentis ab utroque: per Sacram Humilitatem Virginis Mariae Dominae nostrae: per virtutes Apostolorum: per passiones terribiles Martyrum Christi: per novem Choros Angelorum: per fidelem, et sacram vitam Confessorum: per omnes Animas beatas Caeli: per sacram obumbrationem, quam fecit virtus Altissimi B. V. Mariae Dominae nostrae: per imperiale Verbum, quod fecit Christus ventis, ut cessarent: per divisionem mirabilem Maris Rubri quam fecit Potentia Divina Populo Judaico: per omnia ista supra scripta, conjuro ✝, et praecipio vobis, o nubes, seu grandines, quod in signum hujus ✝ Crucis, quam contra vos facio, indivisae repente recedatis a nobis, et ab hoc loco, sine laesione alicujus hominis, sive loci, sive navis, sive terrae, et deleamini per aerem. Amen.

Iterum ✝ adjuro vos grandines, et venti per

quinque Vulnera Christi : per clavos , qui manus , et pedes perforarunt , ut in aquam soluti descendatis. In nomine Pa✝tris , et lii , et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Ponantur Cruces in arboribus ut supra.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Multiplica , quaesumus Domine , super misericordiam tuam , ut super has fruges v desideratae benedictionis ubertas, ut repleti o bus frugibus tuis , in tuo nomine , de tua tia semper exultemus. Per Christum Dominum strum. Amen.

Aspergatur haec pars aqua benedicta , dice

Asperges me etc.

Conferens se ad tertium latus dicat

Psalmus 22.

Dominus regit me , et nihil mihi deerit loco pascuae ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: ani meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiae , pr nomen suum.

Nam , et si ambulavero in medio um mortis , non timebo mala : quoniam tu cum es.

Virga tua , et baculus tuus , ipsa me con ta sunt ,

Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians, quam praeclarus est.

Et misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitae meae.

Et ut inhabitem in Domo Domini, in longitudinem dierum.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 125.

In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum; facti sumus laetantes.

Converte Domine captivitatem nostram: sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

Euntes ibant, et flebant, mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Gloria Patri, etc.

Psalmus 124.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in aeternum, qui habitat in Jerusalem.

Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc, nunc, et usque in saeculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

Benefac, Domine, bonis et rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.

Gloria Patri, etc.

Et stando, ut supra, dicat:

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe, mitte Spiritum Sanctum tuum, cum omnibus Angelis, et Spiritibus Beatis, ut defendat segetes nostras, et fructus ab imbribus nubium, a fulgoribus, a tempestatibus, ab avibus, a vermibus, et ab omnibus infestationibus daemonum, cunctaque profutura nobis bene✠dicat, sicut et ego in tuo sactissimo Nomine ea bene✠dico. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

℣. Dominus vobiscum, etc.

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.*

Cum turba plurima conveniret, et de Civitatibus properaret ad Jesum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat seminare semen suum; et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres caeli comederunt

illud; et aliud cecidit super petram, et natum aruit quia non habebat humorem; et aliud cecidit inter spinas, et simul exortae spinae suffocaverunt illud; et aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum. Haec dicens, clamabat: qui habet aures audiendi, audiat.

℟. Laus tibi Christe.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Te, Domine, petimus, et rogamus, ut haec segetum, fructuum, olerum, leguminum, herbarum semina, oculis tuis serenis aspicias. Sicut enim testatus es Moysi famulo tuo, in terra Ægypti dicens: dic filiis tuis Israel, cum ingressi fuerint terram promissionis, quam eis Dominus Deus daturus est primitias frugum suarum offerant Sacerdotibus, et erunt benedicti; ita et nos oramus, Domine, auxilium misericordiae tuae super haec semina, ex quibus fructus de terra suscipere speramus, ut non grando ulla succidat, non turbo tempestatis detruncet, non aquarum inundantia abducat, non aeris intemperies exterminet, sed tua bene✠dictione munita, superabundanter multiplicet, propter animarum, et corporum humanorum utilitatem, et usum: Precamur etiam clementiam tuam, ut ad plenissimam maturitatem ea perducere digneris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Signetur aer dicendo:

Circumdet vos Deus Pater ✠, circumdet vos Deus Filius ✠, circumdet vos Deus Spiritus✠San-

ctus ✝. Bene✝dicat vos Deus Pater, Bene✝dicat vos Deus Filius, Bene✝dicat vos Deus Spiritus Sanctus. Dividat vos Deus Pater, ✠, dividat vos Deus Filius ✠, dividat vos Deus Spiritus Sanctus ✠. Destruat vos Deus Pater ✠, destruat vos Deus Filius ✠, destruat vos Deus Spiritus Sanctus ✠. Annihilet vos Deus Pater ✠, annihilet vos Deus Filius ✠, annihilet vos Deus Spiritus Sanctus ✠. In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Aptentur Cruces arboribus, ut supra.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui molem mundi ex nihilo pendentem gubernas, et ad victum humani generis, agros excolere jussisti, misericordiam tuam supplices exoramus, ut quidquid in his agris salubris seminis satum atque plantatum est, respectu tuae clementiae prospicias; et aeris temperiem moderare digneris, ac resecato, atque absorpto omnium tribulorum, spinarumque squallore, efficias fruges foecundas, et ad temporis opportunitatem perfecte maturescere tribuas: ut nos famuli tui, uberibus donis refecti, in tuas tibi debitas laudes perpetuo exerceri mereamur. Per Christum etc.

Aspergatur ista pars aqua benedicta, dicendo: Asperges me etc.

Et exeundo ad quartum latus, dicat

Psalmus 4.

Cum invocarem exaudivit me Deus justitiae meae: in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, et exaudi orationem meam.
Filii hominum usquequo gravi corde ; ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?
Et scitote, quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum: Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.
Irascimini, et nolite peccare, quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.
Sacrificate Sacrificium justitiae, et sperate in Domino : multi dicunt, quis ostendit nobis bona?
Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti laetitiam in corde meo.
A fructu frumenti, vini, et olei sui, multiplicati sunt.
In pace in idipsum dormiam et requiescam.
Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.
Gloria Patri, etc.

Psalmus 127.

Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.
Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.
Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuae.
Filii tui sicut novellae olivarum, in circuitu mensae tuae.
Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.
Benedicat tibi Dominus ex Sion : et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitae tuae.

Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 24.

Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei, etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes, supervacue.

Vias tuas Domine demonstra mihi: et semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, et doce me: quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt.

Delicta juventutis meae, et ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine.

Dulcis, et rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Diriget mansuetos in judicio: docebit mites vias suas.

Universae viae Domini, misericordia, et veritas, requirentibus testamentum ejus, et testimonia ejus.

Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim.

Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.

Anima ejus in bonis demorabitur, et semen ejus haereditabit terram.

Firmamentum est Dominus timentibus eum: et testamentum ipsius, ut manifestetur illis.

Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Respice in me, et miserere mei, quia unicus, et pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatae sunt, de necessitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte universa delicta mea.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me.

Custodi animam meam, et erue me, non erubescam, quoniam speravi in te.

Innocentes, et recti adhaeserunt mihi: quia sustinui te.

Libera, Deus, Israel ex omnibus tribulationibus suis.

Gloria Patri, etc.

Et stando ut supra dicat:

℣. Ostende nobis, Domine misericordiam tuam etc.

℣. Adjutorium nostrum in nomine etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Preces nostras, quaesumus Domine, clementer exaudi, et contra cuncta nobis adversantia dexteram tuae Majestatis extende. Per Christum Dominum nostrum, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.*
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis: levate oculos vestros, et videte Regiones, quia albae sunt jam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam aeternam: ut, et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit. In hoc enim est verbum verum, quia alius est, qui seminat, et alius est, qui metit. Ego misi vos metere; quod vos non laborastis, alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.

℟. Laus tibi Christe.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Sancte, Pater, omnipotens, aeterne Deus, qui caelum, et terram, mare, et omnia creasti: et suppliciter petimus, ut tua ineffabili Providentia, qua universa mirabiliter gubernas, hos agros, vineas, arbores, ac segetes bene†dicere, et sancti†ficare digneris, et eis fertilitatem tribuere, ad sustentationem servorum tuorum, ad solamen corporum, et ad spiritualem refectionem animarum. Per Christum Dominum etc. *Dicatur adjuratio.*

Sanctus Matthaeus †, Sanctus Marcus †, Sanctus Lucas †, Sanctus Joannes Evangelista †, qui Christi Evangelium per quatuor mundi partes divulgaverunt, ipsi suis meritis, et preci-

bus hanc tempestatem ab omnibus Christianorum finibus, ab eodem Domino nostro Jesu Christo obtineant effugari, et depelli. Et ego peccator, et Christi Sacerdos (licet indignus) auctoritate, et virtute ejusdem Dei, et Domini nostri Jesu Christi, summi imperatoris, non mea potentia innixus, et confisus, vobis praecipio, immundissimi Spiritus, qui has nebulas concitatis, in virtutem ejusdem, et per tremendum ejus judicium, et per sanctissimam Crucem suam, quam contra vos facio ✝, et per merita intemeratae, semperque Beatissimae Virginis Mariae Genitricis Dei, et per merita omnium Sanctorum, ut exeatis ab eis, et eas dispergatis in locis silvestribus; quatenus nocere non possint homini, aut quibuscumque rebus, ejus usui deputatis. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. Amen.

Muniantur arbores Cruce, ut supra.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, qui B. Birgittae inimicos superare concessisti, praesta nobis famulis tuis, ut intercedentibus ejus oratione, atque meritis, ab omni ira tempestatis liberari valeamus. Per Dominum, etc.

Aspergatur haec quarta pars aqua benedicta, dicendo : Asperges etc. Sacerdos reversus ad priorem, locum, flexis genibus dicere poterit Litanias de omnibus Sanctis, ut in Breviario. Et

cum perventum fuerit ad ℣. *Ut fructus terrae dare, et conservare digneris: Te rogamus audi nos*: Postea se erigens versus Orientem signando agros cum Agnus Dei, simul cum Reliquiis Sanctorum, dicat:

Ut a finibus istis grandines, a Daemonibus qualitercumque excitatae fuerint, in aquam reducere digneris. ℟. Te rogamus audi nos.

Versus Aquilonem.

Ut regionem hanc a grandinibus praeservare ✠, liberare ✠, et tueri ✠ digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Versus Austrum.

Ut a possessionibus, vineis, et arboribus istis omnes grandines elongare ✠, disperdere ✠, destruere, et annihilare ✠ digneris.

℟. Te rogamus, etc.

Versus Occasum.

Ut nos exaudire digneris, etc.

Postea terminantur Litaniae cum suis precibus. Tandem dicatur Psal. De profundis, etc. cum Oratione Fidelium, etc. Et denuo aspergat aqua benedicta, dicendo:

Benedictio Dei omnipotentis, Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, descendat super agros, vineas, fruges, et arbores istas, ac super nos omnes, et maneat semper. Amen.

Si haec Benedictio fit solemniter pro generali penuria, paretur locus eminens, qui respiciat latitudinem Territorii, ubi Superior spiritualis (quisquis sit) indutus amictu, alba, et

pluviali violaceo (Clero seculari, et Regulari, nec non et societatibus omnibus in habitu decenti, ut mos est concomitantibus conveniens) Benedicat modo praescripto, tantum se vertens ad latera agrorum, dum dicit preces, et conjurationes, ceteri vero semper orent flexis genibus. Benedicendo poterit uti Psalmis, et deprecationibus, plus aut minus pro libito suo.

§ XXXVI. *Alia benedictio pro Vinea sola.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, qui Vineam tuam ex Ægypto eductam mirabiliter plantasti, preces nostras benignus exaudi, ut in Vineam famulorum tuorum Bene✝dictio celestis copiosa descendat, et quod in ea ad usum humani generis tribuere dignatus es, multipliciter redundando rorem tuae bene✝dictionis infunde. Per Christum etc.

§ XXXVII. *Benedictio communis super fructus, et Vineas.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum etc.

OREMUS

Oramus pietatem tuam, omnipotens Deus, ut has primitias creaturae tuae, quas aeris, et plu-

viae temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuae imbre perfundas, et fructus terrae tuae usque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus semper gratias agere, ut a fertilitate terrae esurientium animas bonis affluentibus repleas, et egenus, et pauper laudent nomen gloriae tuae. Per Christum Dominum nostrum, etc.

Aspergat illam aqua benedicta.

§ XXXVIII. *Benedictio Horrei.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Adsit nobis, quaesumus Domine virtus Spiritus Sancti, quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum, etc.

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.*
℟ Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Dixit Jesus turbis Judaeorum; videte, et cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his, quae possidet. Hominis cujusdam divitis, uberes fructus ager attulit, et cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, et majora faciam, et illic congregabo omnia, quae nata sunt mihi, et bona mea; et dicam Animae meae: Anima habes multa bona

posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: stulte, hac nocte Animam tuam repetent a te; quae autem parasti cujus erunt? Sic est, qui sibi thesaurizat; et non est in Deum dives.

℟. Laus tibi. Christe. *Dicatur*

Psalmus 143.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas, ad praelium: et digitos meos ad bellum.

Misericordia mea, et refugium meum: susceptor meus, et liberator meus.

Protector meus, et in ipso speravi: qui subdit populum meum sub me.

Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

Homo vanitati similis factus est: dies ejus sicut umbra praetereunt.

Domine, inclina Caelos tuos, et descende; tange montes, et fumigabunt.

Fulgura coruscationem, et dissipabis eos: emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.

Emitte manum tuam de alto, eripe me, et libera me de aquis multis; de manu filiorum alienorum.

Quorum os locutum est vanitatem: et dextera eorum, dextera iniquitatis.

Deus canticum novum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi.

Qui das salutem Regibus, qui redemisti David servum tuum; de gladio maligno eripe me.

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem: et dextera eorum, dextera iniquitatis.

Quorum filii, sicut novellae plantationes, in juventute sua.

Filiae eorum compositae, circumornatae, ut similitudo templi.

Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.

Oves eorum foetosae, abundantes in egressibus suis, boves eorum crassae.

Non est ruina maceriae, neque transitus, neque clamor in plateis eorum.

Beatum dixerunt populum, cui haec sunt; Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

Gloria Patri, etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Omnipotens, et misericors Deus, qui ubique es praesens, majestatem tuam supplices exoramus, ut huic horreo gratia tua adesse dignetur, quae cuncta adversa ab eo repellat, abun-

dantiam bene✠dictionis tuae super illud largiter effundat. Per Christum Dominum nostrum, etc.

Aspergatur, dicendo:

Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ Sancti descendat super hoc horreum, et super ea, quae in illo reponentur. Amen.

§. XXXIX. *Benedictio Cellae Vinariae.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Sancte Pater omnipotens aeterne Deus, bonorum omnium dator, et conservator, qui inter reliquas creaturas tuas, Vinum in hominum sustentationem, et laetitiam, ex fructu uvarum prodire jussisti: quique per Unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum in Nuptiis in Cana Galilaeae aquam in Vinum mirabiliter permutasti, et Sacramentum pretiosissimi Sanguinis ejusdem Filii tui in vini materia sanctificari jussisti: te supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam Vini bene✝dicere, et sancti✝ficare digneris, ut omnes ex eo gustantes, animae, et corporis recipiant sanitatem, et te omnium gratiarum largitorem sine fine collaudent. Per eumdem Dominum nostrum, etc. *Aspergatur, etc.*

§ XL. *Benedictio Terrae seminatae quocumque semino.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Bene✝dicat nos Deus, Deus noster, et terrae ubertatem concedat, in centuplum amplificet fructus ejus, ut viventes cum exultatione manipulos nostros colligamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

§ XLI. *Benedictio Arborum, et fructuum earum.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, qui hujus Arboris plantam tua visitatione, et tua providentia protectam esse voluisti, nunc etiam eamdem bene✝dicere, et sancti✝ficare digneris, ut quicumque ex fructibus ejus sumpserint, sani, et incolumes esse valeant. Per Christum Dominum, etc.

OREMUS

Benedic, Domino, hunc novum Fructum arborum, et praesta, ut qui ex eo in tuo nomine vescentur, corporis, et animae sanitate potiantur. Per Christum, etc.

§ XLII. *Benedictio novorum Fructuum.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Benedic, Domine, hos novos Fructus N. et praesta, ut qui ex eis in tuo sancto Nomine vescentur, corporis, et animae salute potiantur. Per Christum, etc.

§ XLIII. *Benedictio Fructuum quorumcumque.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe, Deus de Deo, qui Famulum tuum B. Blasium Martyrio consecrasti, et B. Ubaldum, et Antonium Paduanum in gloria tua collocasti, benedicere, et sancti✝ficare digneris tua pietate hos Fructus, quos indigne detulimus, per tui sancti Nominis invocationem, et per intercessionem Beatissimae Mariae Virginis, et B. Ubaldi, ac Antonii Paduani servi tui. Bene✝dic, sicut et ego bene✝dico, et sanct✝fica hos Fructus, ad profectum praesentis Familae, atque omnium fidelium praesentium, et absentium pervenire concede: ut in quocumque loco deportati fuerint, salvi maxime a dolore gutturis, et aliorum dolorum efficiantur, et omnes iniquitates sive illusiones Daemonum, ab eorum habitaculis abscedant, et quicumque ex eis tenuerint, et gustaverint, tua Gratia, et Benedictione repleantur. Qui vivis, et regnas, etc.

Aspergantur etc.

§ XLIV. *Benedictio Panis novi.*

℣. Adjutorium etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Bene✠dic, Domine, creaturam istam Panis, sicut benedixisti quinque Panes in Deserto: ut sit donum ejusdem in annuum alimentum; gustantesque ex eo accipiant tam corporis, quam animae salutem. Per Christum Dominum nostrum, etc. *Aspergatur etc.*

§ XLV. *Benedictio Panis, vel Tritici, vel Farinae, vel Leguminis, mutatis mutandis.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Peto, o Domine Jesu Christe, ut bene✠dicas Panem hunc, sicut benedixisti quinque panes in Deserto, ut sit sumentibus salus mentis, et corporis, atque contra morbos, et universas insidias Diaboli. Nam ego N. Sacerdos tuus, in nomine tuo hunc Panem bene✝dico, sancti✝fico, et exorcizo ✝ sicut Elias benedixit farinam in hydria Viduae, et fecit subcinericium Panem Benedictum Eliae, quia ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus usque ad Montem Dei Horeb: sic hunc Panem in nomine tuo bene✝dico, et sancti✝fico, Creaturae tuae trado, ut accipiat, et

comedat, ad eradicandum a corpore suo omne maleficium, incantationem, ligamen, signum, et opus diabolicum, et ipsos Daemones, omnemque febrim, et qualemcumque aegritudinem. O Domine Jesu Christe, qui es Panis natus in Betlehem, Panis vitae, benedic, et sanctifica eum: et ego per sanctum nomen tuum, et sancti Ubaldi, et sancti Antonii Paduani eum bene✝dico, et sancti✝fico, ac per ipsum sanctum Nomen tuum terribile, destruo omnia maleficia, et per ipsum sanctum Nomen, o Domine Jesu, hunc Panem bene✝dico, et sancti✝fico, et virtutem tui sanctissimi Nominis infundo, ut sit contra omnes vexationes diabolicas. Bene✝dico hunc Panem, et sancti✝fico, et Dominus tecum sit, o Panis Benedicte, ut extinguas venena, noxia comprimas, adversa depellas, maleficia destruas, Daemonia fuges ab hac Creatura N. et a cunctis creaturis. O S. Michael, bene✝dic hunc Panem per tuam sanctam Pietatem. O Sancta Maria, sancti✝fica hunc Panem, ut qui comederint ex eo, recipiant sanitatem, et tuam sanctam Benedictionem. O S. Pater Ubalde, et S. Antoni de Padua, infunde in hunc Panem tuam benedictionem, ut sit ignis ardens contra Daemones, et destruat facturas, et omnia opera Sathanae. Amen.

Bene✠dicat, quaesumus Domine, sancte Pater, per amorem Filii tui, virtus Spiritus Sancti Panem istum: et ita benedicat ✠, inflammet ✠, et exorcizet ✠, ut quicumque ex eo comede-

rit, sive gustaverit in nomine tuo, et dilecti Filii tui, et Spiritus S. ab omnibus operibus Sathanae sanetur. Da, Domine Sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, ut quod rogamus, et exoramus, obtineamus in nomine tuo, et dilecti Filii tui, et Spiritus Sancti. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

§ XLVI. *Benedictio Orizarum.*

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, mitte Spiritum Sanctum tuum cum Angelis, et Archangelis, et cum eis omnes Sanctos, et Electos, ut custodiant hos fructus Orizarum a vermibus malis, sive avibus, ut magnificetur nomen tuum. Per Christum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi: Amice, commoda mihi tres Panes, quia amicus meus venit de via ad me, et non habeo, quod ponam ante illum; et ille de intus respondens, dicat: noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, et pueri mei me-

cum sunt in cubili, non possumus surgere, et dare tibi: Et si ille perseveraverit pulsans: dico vobis, et si non dabit illi, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi, quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: Petite et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis: Omnis enim, qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis Patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum, nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare Filiis vestris, quanto magis Pater vester de Caelo dabit Spiritum bonum petentibus se?

℟. Laus tibi Christe.

Psalmus 124.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in aeternum, qui habitat in Jerusalem.

Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc, nunc, et usque in saeculum;

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

Benefac Domine bonis, et rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, adducet Do-

abundanter, propter usum hominum, ad plenissimam maturitatem perducere digneris. Per Christum, etc. *Aspergantur etc.*

§ XLVII. *Benedictio Lactis, et Mellis.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Bene✝dic, Domine, has creaturas Lactis, et Mellis, et pota famulos tuos fonte perenni, qui es Spiritus veritatis, et enutri eos de hoc Melle, et Lacte. Tu enim, Domine, promisisti Patribus nostris, Abraham, Isaac, et Jacob, dicens: Introducam vos in terram promissionis, terram fluentem Lac, et Mel. Conjunge, Domine, nos famulos tuos Spiritu charitatis, et pacis, sicut conjunctum est Lac, et Mel, in Christum Dominum nostrum. Qui tecum, etc. *Aspergatur etc.*

§ XLVIII. *Benedictio Lacticiniorum.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Dignare, Domine Sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, bene✝dicere, et sancti✝ficare hanc creaturam butyri, casei, lactis, etc. quae ex adipe animalium educere dignatus es, ut quicumque ex populis tuis fidelibus ex ea comede-

rint, vel gustaverint, omni bene ✝ dictione caelesti, et gratia saturati repleantur in bonis. Per Christum Dominum nostrum, etc.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spi✝ritus Sancti descendat super hanc creaturam N. et N. et per virtutem Sanctae Cru✝cis, et mortis Jesu Christi Domini nostri, fugiat ab eis omnis infestatio Sathanae, et omne phantasma evanescat. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

§ XLIX. *Benedictio Olei simplicis.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine, etc.

℣. Dominus vobiscum etc.

EXORCISMUS

Exorcizio te creatura Olei, per Deum Patrem ✝ omnipotentem, qui fecit Caelum, et terram, mare, et omnia, quae in eis sunt; omnis virtus, adversarii, omnis exercitus Diaboli, et omnis incursus, omne phantasma Sathanae eradicare, et effugare ab hac creatura Olei, ut fiat omnibus, qui eo usuri sunt, salus mentis, et corporis, in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, et Jesu Christi ✠ Filii ejus Domini nostri, et Spiritus ✠ Sancti Paraclyti, et in charitatem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum etc.

OREMUS

Domine Deus omnipotens, cui adstat exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale cognoscitur, dignare respicere, et bene✠dicere, et sancti✠ficare hanc creaturam Olei, quod ex Olivarum succo eduxisti, et ex eo infirmos inungi mandasti, quatenus sanitate percepta, tibi Deo vivo, et vero gratias agerent: Praesta, quaesumus, ut qui hoc Oleo, quod in tuo nomine bene✠dicimus, usi fuerint, ab omni languore, omnique infirmitate atque cunctis insidiis inimici liberentur, e cunctae adversitates separentur a plasmate tuo, quod pretioso sanguine Filii tui redemisti: ut nunquam laedatur a morsu serpentis antiqui. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc. *Aspergat Oleo, vel aqua benedicta.*

§ L. *Benedictio Olei, vel Laridi, vel ali un a unctionum, mutatis mutandis.*

Exorcizo te ✠, Creatura Olei, in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ Sancti, ut per hanc invocationem Individuae Trinitatis, ac unius virtutem Deitatis, omnis nequissima virtus Adversarii, omnis inveterata malitia Diaboli, omnis violenta incursio, omne confusum, et caecum phantasma eradicetur, fugetur, et discedat ab hoc Oleo, ut omnis, qui ex eo biberit, et devote se unxerit, fiat sanus ab omni maleficio Diabolico, nec possit illi nocere ulla nequitia malignorum Spirituum.

OREMUS

Exorcizo te creatura Vini in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spi†ritus Sancti, ne sis communis ulli Spiritui immundo ad honorem S. Mariae, et S. Ubaldi, ac Antonii de Padua, ut qui te devote biberit, et gustaverit, omnis spiritus immundus ab eo recedat cum facturis suis: itaque exorcizo ✠, et benedico ✠ te creatura Vini in nomine Jesu Christi, et S. Ubaldi, ac S. Antoni de Padua, ut sis purgatio omnium maleficiorum. Dignare, o S. Pater Ubalde, et S. Antonii de Padua hoc Vinum bene†dicere, et Sancti†ficare, ad liberandas, et sanandas creaturas Dei ab omnibus maleficiis, et daemoniis. O Domine Jesu Christe, sicut convertisti in Cana Galilaeae aquam in Vinum: ita bene†dicere, exorci†zare, et sancti†ficare, tua pietate digneris hoc Vinum, ut sit remedium efficax contra omnem potestatem omnium inimicorum nostrorum, et etiam contra omnes facturas, quae factae sunt, et fient, nullus Spiritus cujusque generis possit latere in tua creatura, quae gustaverit hoc Vinum benedictum. Peto, Domine, per tuam sanctam Passionem, et Crucem, ut qui biberit ex hoc Vino benedicto, mundetur a Spiritibus immundis, et ab omni maleficio, et omnis virtus Diaboli exterminetur, et potestas tua, Domine, in virtute bonorum tuorum praevaleat. O Domine, infunde tuam sanctam Benedictionem in hoc Vinum, ut alligata sint vulnera Sathanae, et ego bene†dico

ris, ut super ea descendat gratiae tuae larga bene✠dictio, ut utentibus, per gratiam tuam, mereantur effici munda, et salubria. Per Dominum nostrum etc. Amen. *Aspergat aqua etc.*

§ LIII. *Benedictio Cerevisiae, et communis ad alios potus.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Creator, Conservator humani generis, dator gratiae spiritualis, largitor aeternae salutis, tu Domine, mitte Spiritum S. tuum cum superna bene✠dictione super hanc creaturam N. ut armata virtute caelestis defensionis, illis, qui ea fruentur, proficiat ad corporis, et animae salutem, ac tutelam. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc. Amen. *Aspergatur aqua benedicta.*

§ LIV. *Benedictio cujuscumque rei, tam comestibilis, quam non.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Bene✠dic; Domine, creaturam istam N. ut salutare remedium sit facturae tuae, quam pretioso sanguine redemisti, et praesta per invocationem tui sancti Nominis, et S. Ubaldi servi tui, ac S. Antonii de Padua, ut quisquis ea

usus fuerit, Benedictionem recipiat, et salutem, atque contra omnes morbos, ac universas insidias Diaboli, et inimicorum tutamen sit, et ego N. tuus Sacerdos in nomine tuo, et Divi Ubaldi Episcopi, ac S. Antonii de Padua, hanc creaturam bene✝dico, atque sancti✝fico, ut sit defensiculum creaturis tuis, et ignis ardens Daemoniorum; ut sit destructio, et expulsio, atque annihilatio omnium facturarum, et diabolorum. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠ Sancti. Amen.

§ LV. *Benedictio Braxatorii, vel alterius Officinae.*

Convenit cum Benedictione Domus novae, vel Loci, mutatis mutandis, ut supra § XV.

§ LVI. *Benedictio ignis.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Bene✠dico te creatura Ignis, atque sancti✠fico per eum, qui te creavit, qui famulo tuo Moysi apparuit ignea forma in Rubo. Bene✠dico, et exor✠cizo, atque con✠juro te, o creatura Ignis, per eum, qui fecit orbem tremere, et omnia potest: ut adversus infernales praedones sis mihi adjutorium: eosque in nomine Jesu, et S. Ubaldi, ac S. Antonii de Padua affligas, excrucies, et exuras igne ge-

hennae sulphureae. Sic tu, Domine bene✠dicere, et sancti✠ficare digneris hanc creaturam Ignis, ut ardens daemones, et omnia opera sua, et maleficia, cujuscumque generis sint, comburat, destruat, et annihilet, quae facta sunt, et facta fuerint: quae omnia in nomine tuo, o Domine, destruo, et annihilo, semper obsecrans humiliter tuam omnipotentem pietatem, ut huic creaturae Ignis eam virtutem conferre tua benignitate digneris, quae malignis spiritibus non solum infernalium poenarum amaram recordationem efficiat, verum etiam eos (pro eorum in te, et in nos ministros tuos contumacia) exterminet, et expediat, et sic bene✠dico, et sancti✠fico hanc creaturam Ignis, in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti. Amen.

Domine, Deus noster omnipotens, Lumen indeficiens, conditor omnium hominum, exaudi nos famulos tuos, et bene✠dic hunc Ignem, qui tua sancti✠ficatione, et bene✠dictione consecratus est. Tu qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina tenebras cordis nostri, et conscientias nostras Igne tuae charitatis, ut tuo lumine igniti, tuo lumine illuminati, expulsis a cordibus nostris peccatorum tenebris, ad vitam, te illustrante, pervenire mereamur. Per Christum, etc. *Aspergatur etc.*

§ LVII. *Benedictio Fornacis in braxatorio, vel pistrina, vel alibi.*

Benedicatur Ignis paulo ante, et postea dicatur Lectio Danielis Prophetae.

In diebus illis: Angelus Domini descendit cum Azaria, et Sociis ejus in fornacem: et excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem; flamma autem diffusa est per fornacem cubitis quadraginta novem, et incendit, quos reperit juxta fornacem de Chaldaeis ministros Regis, qui eam incendebant; illos autem omnino non tetigit ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiae intulit. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant, et glorificabant, et benedicebant Deum in fornace dicentes: Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum, et laudabilis, et gloriosus in saecula. Benedictus es in templo sancto gloriae tuae, et laudabilis, et gloriosus in saecula. Benedictus es super Thronum Sanctum regni tui, et laudabilis, et gloriosus in saecula. Benedictus es super Sceptrum Divinitatis tuae, et laudabilis, et gloriosus in saecula. Benedictus es sedens super Cherubin, intuens abyssos, et laudabilis, et gloriosus in saecula. Benedictus es qui ambulas super pennas ventorum, et super undas maris, et laudabilis, et gloriosus in saecula. Benedicant te omnes Angeli, et Sancti tui, et laudent te, et glorificent in saecula. Benedicant te Caeli, Terra, Mare, et omnia, quae

in eis sunt, et laudent te, et glorificent in saecula. Gloria Patri, etc. Et laudabilis, et gloriosus in saecula. Benedictus es, Domine Deus Patrum nostrorum, et laudabilis, et gloriosus in saecula.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui famulo tuo Moysi in flamma rubi apparuisti, et filiis Israel, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis, ut eis esses dux itineris, utroque tempore transtulisti, adesto propitius invocationibus nostris, ut hanc Fornacem (desuper adveniente gratia tua) ingenti Benedictione per nostrae humilitatis servitutem puri✠ficare, bene✠dicere, et sancti✠ficare digneris, ut tua Benedictione succensa, quidquid in ea ad nostros usus invenitur, etiam ad gloriam, et ad honorem tuum referatur. Per Dominum, etc.

OREMUS

Domine sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, qui per Filium tuum, angularem scilicet lapidem, claritatis tuae ignem fidelibus contulisti, productum ex silice, nostris profuturum usibus Ignem hunc sanctifica, et concede nobis Benedicentibus eum, in nomine tuo, et Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus Sancti, ita Caelestibus desideriis inflammari, ut adjuti contra ignita tela inimici, et illustrati tua gratia Caelesti, ad perpetuam

tuae claritatis gloriam paris mentibus valeamus pertingere.

Omnipotens sempiterne Deus, qui sola motus miseratione tua, fructus terrae ad vescendum, Linum, et Lanam ad operiendum, Civitates, et Domos ad habitandum humano generi providisti, respice, quaesumus, super hanc accensam Fornacem, et infunde super eam Benedictionem tuam, et praesta, ut lapidibus istis optime in calcem conversis, ad eas, quas animo concepimus moles, uti feliciter possimus.

Deus Optime, et Sanctissime, qui surgentes lapides erigi, ac laevigari calce voluisti, ut in eis omnia legis tuae praecepta scriberentur, concede nobis famulis tuis, ut Calxista omni impedimento, vel adversitate remota, eam sortiatur perfectionem, quam pro tua gloria, et nostra utilitate postulamus.

Benedic ✠ Deus, hanc Fornacem, cujus voluntati, potestatique non est, qui valeat resistere; tu qui vento, et mari imperas, et obediunt tibi; tu, Domine, qui nos per virtutum omnium excellentissimam charitatem, tibi adhaerere voluisti, da nobis etiam, ut ipsius Fornacis, alius quam expectatur eventus, finisque non existat, sed talis evadat, ut ad quamcumque libuerit molem extruendam, nobis laetantibus, usui esset possit. Per Christum Dominum nostrum, etc.

Circumeatur Fornax, et aspergatur aqua benedicta, dicendo:

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Fi-

✠lii, et Spiritus ✠ Sancti descendat super hanc Fornacem, super ignem, et super omnia, quae in ea sunt, necnon super nos, et maneat semper. Amen.

§ LVIII. *Benedictio Aquarum, et Fluminum.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui Jordanis flumen benedixisti, in eodem Baptizatus aquas mundasti, ut elementum purum efficeretur in remissionem peccatorum, has Aquas quoque bene✠dicere, et sancti✠ficare, et mundare digneris, ut nihil in eis noxium, nihil pestilens, vel indeficiens, nihil corrumpens remaneat, sed omnia pura, et munda in eis efficiantur, quatenus, quae in usum humanum ex eis creata sunt, cum salute nostra, et gloria tua assumamus. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

§ LIX. *Benedictio Aquae cum Ligno B. Francisci Seraphici.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Domine exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, qui ad salutem humani generis maxi-

ma quaeque Sacramenta in Aquarum substantia condidisti, adesto propitius invocationibus notris, et Elemento huic multimodis purificationibus praeparato, per hujus Sacri Ligni contactum, B. Patre nostro Francisco intercedente, virtutem tuae bene✠dictionis infunde, ut Creatura tua mysteriis tuis serviens ad abigendos Daemones, morbosque pellendos, Divinae gratiae sumat effectum, ut sit omnibus sumentibus salus mentis, et corporis, et quidquid ex eo tactum, vel aspersum fuerit, careat omni immunditia, liberetur a noxa, et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione, vel sumptione hujus Aquae effugiat, ut salubritas per invocationem Sancti tui nominis, et Divi Patris Francisci expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum, etc. *Aspergatur ex se ipsa.*

§ LX. *Benedictio Navis novae.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Propitiare Domine supplicationibus nostris, et bene✠dic Navem istam dextera tua sancta, et omnes, qui in ea vehentur, sicut dignatus es Benedicere Arcam Noe ambulantem in Diluvio: porrige ei Domine dexteram tuam, sicut porrexisti B. Petro ambulanti super mare; et mitte Sanctum Angelum tuum de Caelis, qui libe-

ret, et custodiat eam semper a periculis universis cum omnibus, quae in ea erunt; et famulos tuos, repulsis adversitatibus, portu semper optabili, cursuque tranquillo tuearis, transactisque, ac recte perfectis negotiis omnibus, iterato tempore ad propria cum omni gaudio revocare digneris. Qui vivis, etc. *Aspergat Navem aqua benedicta.*

§ LXI. *Benedictio Piscinae, et Piscium.*

℣. Adiutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Omnipotens aeterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, qui Pisces in fluminibus maris crescere, et multiplicare dignatus es; praesta quaesumus, ut hos parvos Pisciculos in istam Piscinam impositos crescere, et multiplicare tua gratia digneris. Per Dominum nostrum etc.

Crescite, et multiplicamini vos parvi Pisciculi, et replete istam Piscinam in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii; et Spiritus ✠ Sancti. Dominus det vobis suam benedictionem. Amen.

OREMUS

Deus omnipotens, qui hanc creaturam Piscium ex aquarum fluctibus in mundi principio prodire jussisti, quam inter ceteras creaturas tuo ore Benedicto dignatus es benedicere, et de qua, post assuptam humani generis formam,

Unigenitus Filius tuus coram Discipulis su sa igni comedere voluit, ad insinuandum suae Passionis cruciatus. Bene✠dic etiam cibos Piscium, praesta nobis, ut, qui de sione Domini nostri Jesu Christi, et a tribulationis sumus excocti, de ineffabili resurrectione refrigerati, Pane Caelesti laete Per eumdem Dominum nostrum, etc.

§ LXII. *Benedictio pro copiosa Piscatio*

℣. Adjutorium nostrum in nomine etc.
℟. Dominus vobiscum, etc.

Psalmus 8.

Domine Dominus noster, quam admir est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua s Caelos.

Ex ore infantium, et lactentium perf laudem propter inimicos tuos: ut destruas micum, et ultorem.

Quoniam videbo Caelos tuos, opera digito tuorum: Lunam, et Stellas, que tu fundast

Quid est homo, quod memor es ejus? filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gl et honore coronasti eum: et costituisti eun per opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves boves universas: insuper, et pecora campi

Volucres Caeli, et pisces maris, qui pe bulant semitas maris.

Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Gloria Patri, etc.

℣. Domine exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Magnifica, quaesumus, Domine ✠ Deus, super nos misericordiam tuam; et sicut multiplicasti quinque Panes, et duos Pisces in Deserto, ex quibus satiasti turbam quinque millia hominum, ita nunc potentissima, ac providentissima Bene✠dictione multiplicare dignare, ad usus humanos, cunctos Pisces, qui ex hac aqua generantur, ut tua liberalitate refecti tibi gratias agere, et nomen tuum perpetuo laudare valeamus. Per Dominum nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum etc.

Sequentia sancti. Evangelii secundum Joannem.

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore, manifestavit se iterum Jesus Discipulis suis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic. Erant simul Simon Petrus, et Thomas qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat a Cana Galilaeae, et Filii Zebedaei, et alii ex discipulis hujus duo. Dicit eis Simon Petrus, vado piscari: Dicunt ei, venimus et nos tecum. Et exierunt; et ascenderunt in navim, et illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem facto stetit Jesus in litore, non tamen cognoverunt Di-

scipuli, quia Jesus est. Dixit ergo eis Jesus: Pueri numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: non. Et dixit eis: Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. Miserunt ergo, et jam non valebant illud trahere prae multitudine piscium. Dicit ergo Discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est. Simon ergo Petrus cum audisset; quia Dominus est, tunica succinxit se, erat enim nudus, et misit se in mare. Alii autem Discipuli navigio venerunt non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis; trahentes rete piscium. Ut ergo descenderunt in terram viderunt prunas positas, et Piscem superpositum; et Panem. Dixit eis Jesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram plenum magnis Piscibus, centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. Dixit eis Jesus: venite, prandete Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes, quia dominus est. Et venit Jesus, et accipiens Panem, dat eis, et Piscem similiter. Hoc jam tertio manifestatus est Jesus Discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis.

Dicatur canticum. Benedicite omnia opera Domini Domino, etc.

Et Psalmus. Laudate Dominum de Caelis, Laudate eum in excelsis, etc. *Per totum, et postea Evangelium Lucae, ut sequitur.*

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.*
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: cum turbae irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei; et ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum. Piscatores autem descenderant, et lavabant retia. Ascendens autem in unam navim, quae erat Simonis, rogavit eum, ut a terra reduceret Pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas. Et cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi: Preceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium moltitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, et adjuvarent eos; et venerunt, et impleverunt ambas naviculas.
℟. Laus tibi Christe.
℣. Dominus vobiscum. etc.

OREMUS

Deus cujus providentia in sui dispositione non fallitur a quo bona cuncta procedunt sine quo nihil est validum, te supplices exoramus, ut Benedicendo bene✝dicas rore tuae gratiae Caelestis hanc Aquam, ut commode ad usus fidelium tuorum multitudinem Piscium ex ea extrahentes, te summum Rectorem, Gubernatorem, et dispensatorem agnoscant, diligant, et venerentur.

ctam in istud Rete, quod bene✠dicimus in sancto tuo nomine, et Filii tui Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus Sancti, quemadmodum benedicere dignatus es Sanctorum Apostolorum tuorum Rete, cum dixisti eis. Mittite in dexteram navigii Rete, et invenietis, impletumque est multitudine Piscium; ita nos non propter nostra merita, sed propter tuam clementiam, adjuvare digneris tua gratia, ut de tuis donis tibi semper gratias agamus; quis es Benedictus in saecula saeculorum. Amen. *Aspergatur aqua benedicta*

§ LXIV. *Benedictio Novi Putei.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Supplices deprecamur, Domine, clementiam pietatis tuae: ut aquam Putei hujus caelesti bene✠dictione sanctifices, ad communes vitae usus concedas esse salubrem, et ita ex ea fugare digneris omnem Diabolicae tentationis incursum, ut quicumque ex ea habuerint, vel biberint, vel in quibuscumque necessariis casibus bausta aqua usi fuerint, totius virtutis, ac sanitatis dulcedine perfruantur; ut tibi Sanctificatori, et Salvatori omnium Domino, gratias agere mereantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS

Domine Deus omnipotens, qui in hujus Putei altitudinem, per crepidinem fistularum, copiam Aquarum manare jussisti, praesta, ut, te jubente, atque benedicente ✠, per nostrae officium functionis repulsis hinc phantasmatibus, calliditatibus, atque insidiis Diabolicis, purificatus, atque emundatus semper hic puteus perseveret. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *Aspergatur etc.*

§ LXV. *Benedictio Armentorum, Equorum, Boum, Ovium, etc.*

℣. Adjutorium etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, cujus verbo caeli firmati sunt, cui omnis Creatura deservit, omnis potestas subjecta est, cujus audito nomine serpentes conquiescunt, dracones fugiunt, viperae silent, scorpiones extinguuntur, reguli vincuntur, phalangia nihil noxium operantur, venenata non nocent, cunctaque noxia animalia licet ferocia terrentur: ad auxilium nostrum te imploramus. Tu ab hoc armento omnes Diaboli fraudes repelle, ferarum incursus amove, venena rescinde, illudque ab omnibus infirmitatibus, adversatibus, et periculis libera: Dignare Domine per nomen sanctissimum dulcissimi Filii tui, per intercessionem B. V. Mariae Matris ejus, per

merita S. Antonii, omniumque Electorum tuorum, conservare hunc gregem, expurgare ab omni adversariorum nequitia stabulum, salvificare pabulum, foecunditatem ei tribuere, et tua efficacissima Benedictione replere omnia, quae usui hujus Armenti adaptantur, et adaptanda erunt. Per eumdem Dominum etc.

✠ *Sequentia sancti Evang. secundum Lucam.*
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem, dicentes: Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc Verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis; et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et Infantem positum in praesepio. Videntes autem cognoverunt de Verbo, quod dictum erat illis de Puero; et omnes qui audierunt, mirati sunt de his, quae dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo. Et reversi sunt Pastores glorificante, et laudantes Deum in omnibus, quae audierant, et viderant, sicut dictum est ad illos.
℟. Laus tibi Christe.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS

Domine Deus, Rex caeli, et terrae, verbum Patris, per quem omnia facta sustentationi nostrae tradita sunt. Qui, ut redimeres nos pecca-

tores a faucibus inferni, et a potestate Diaboli, carnem nostram sumere decrevisti, et per Spiritum Sanctum in utero B. V. Mariae conceptus, in caula inter jumenta nasci non es dedignatus, et pannis involutus in praesepio reclinari voluisti, respice, quaesumus, humilitatem nostram, et sicut nostris laboribus, atque necessitatibus per jumenta subvenimentum tribuisti, ita, tua benignissima miseratione, haec armenta custodire, et tueri non recuses, nobisque famulis tuis et cum temporali proventu tuam immarcescibilem gratiam conferre. Qui vivis, et regnas etc.

Aspergatur, etc.

§ LXVI. *Benedictio Columbariorum, Pullariorum, et ejusmodi locorum, in quibus conservantur aves.*

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum etc.

OREMUS

Deus aeterne, ante cujus conspectum assistunt Angeli, et cujus nutu reguntur universa, qui etiam necessariis humanae fragilitati, tua pietate consulere non desinis, te humiliter imploramus, ut Habitaculum istud illa bene✠dictione perfundas, qua per Angelum stantem in Sole mandasti omnibus Avibus dicens: Venite, et congregamini ad coenam magnam Dei; ut semper hic tuae bene✠dictionis copia redundantes laudes tibi referant servi tui: qui das escam omni carni, et imples omne animal benedictione, Salvator noster. Qui vivis, et regnas etc.

OREMUS

Deus universae creaturae, qui inter ceteras diversarum creaturarum species, et pro humani generis usu, etiam Volatilium genus producere dignatus es, ex quibus Noe de arca egrediens, holocausta tibi offerens placuit, et qui populo tuo ex Aegypto educto per Moysem servum tuum munda ab immundis segregans, edendi praeceptum dedisti, te suppliciter rogamus, ut has mundarum Avium carnes bene✝dicere, et sancti✝ficare digneris; ut quicumque ex eis comederint, benedictionis tuae abundantia repleantur, et ad aeternae vitae gaudia pervenire mereantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *Asperg. etc.*

§ LXVII. *Benedictio Salis, et Aquae, contra Vermes, et Aves nocivas.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Domine exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, mitte Spiritum tuum Sanctum cum Angelis, et Archangelis cum Thronis, et Dominationibus, et cum eis omnes Sanctos Electos tuos, ut defendat Segetes nostras a Vermibus malis, et Avibus, et magnificetur nomen tuum in omni loco. Per Christum Dominum etc. Amen.

OREMUS

Bene✠dic, Domine, hanc creaturam Salis,

et aquae, ut fugiant Vermes, et Volucres a nostris Segetibus propter nomen Domini nostri Jesu Christi, quod invocatum est in ipsa creatura messis, ut fiat alimentum omnibus, qui vivunt ex ea. Per eumdem Christum, etc. Amen.

Conspergantur aqua benedicta.

Deinde benedicantur Segetes, addendo sequentes Orationes.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Preces nostras, quaesumus Domine, clementer exaudi, ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, et hanc Avium, Vermium, seu Murium, aut Locustarum, vel aliorum animalium persecutionem patimur, pro tui nominis gloria, ab ea misericorditer liberemur, ut procul a tua potentia expulsi nulli noceant, et hos Campos, Agros, vel Vineas, aut Aquas in tranquillitate, et quiete dimittant; quatenus ex eis surgentia, et orta, tuae Majestati deserviant, et nostrae necessitati subveniant. Per Christum etc.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, omnium bonorum remunerator, et peccatorum maximus miserator; in cujus nomine omnia genuflectuntur, caelestia, terrestria, et infernalia, tua potentia nobis peccatoribus concede, ut, quod de tua misericordia confisi agimus, per tuam gratiam efficacem ejus consequamur effectum, quatenus

hos pestiferos Vermes, vel Mures, Aves, vel Locustas, vel alia animalia per nos servos tuos maledicendo maledicas segregando segreges, exterminando extermines, ut per tuam clementiam ab hac peste liberati gratiarum actiones Majestati tuae libere referamus. Per Dominum nostrum etc.

Exorcizo vos ✠ pestiferos Vermes, vel Mures, Aves, Locustas, seu animalia, per Deum Patrem ✠ omnipotentem, per Jesum Christum ✠ Dominum nostrum, per Spiritum ✠ Sanctum ab utroque procedentem, ut confestim recedatis ab his Campis, vel Vineis, vel Aquis, nec amplius in eis habitetis: sed ad loca transeatis, in quibus nemini nocere possitis.

Pro parte omnipotentis Dei, et totius Curiae caelestis, et ex parte Ecclesiae Sanctae Dei, vos maledicentis, quocumque ieritis, sitis maledicti, deficientes quotidie, decrescentes: ita ut reliquiae de vobis in nullo inveniantur, nisi in necessariis ad salutem, et usum humanum. Quod praestare dignetur, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. Amen.

Aspergatur aer, et terra.

§ LXVIII. *Benedictio Animalium tempore pestis.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣ Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Misericordiam tuam, Domine, supplices ex-

oramus, ut haec Animalia, quae gravi-
mitate vexantur, in nomine tuo, atque tu:
ne✠dictionis virtute sanentur. Extinguatur
omnis Diabolica potestas, neo ulterius
tent. Tu eis, Domine, sis defensaculu
tae, et remedium sanitatis. Per Dominu
Aspergatur etc.

§ LXIX. *Benedictio Salis, quod datur anin*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℟. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus invisibilis, et inaestimabilis, pi
tuam, per sanctum, ac tremendum Filii t
men suppliciter deprecamur, ut in hanc
turam Salis bene✝dictionem, et potentian
sibilis operationis infundas, ut animalia,
necessitatibus humanis tribuere dignatus e
ex eo acceperint, vel gustaverint, bene✝
et sancti✝ficatio tua ab omni aegritudinis,
sionis incursu te protegente custodiat. Pe
dem etc.

OREMUS

Domine Sancte Pater omnipotens aetern
defende, quaesumus, omnia Animalia r
per hanc creaturam Salis defende piissim
ptoribus, a latronibus, a bestiis, a scal
morbo, a morsibus, a laqueis, a Diab
infirmitate, ab invidia, et malitia prav
a malis hominibus, a malis oculis, a ver

ab aruspicibus, et ab omnibus malis, et animalia, quae morbis, et infirmitatibus vexantur, per hanc creaturam Salis, et per invocationem sancti Nominis tui, sanare digneris. Per Christum etc. *Aspergatur etc.*

§ LXX. *Benedictio Maleficiati.*

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Bene✝dicat tibi Dominus, et custodiat te, ostendat faciem suam tibi, et misereatur tui, convertat vultum suum ad te, et det tibi pacem. Dominus Bene✝dicat tibi N., et liberet te ab omni malo; et ab omnibus insidiis inimicorum. Dominus Jesus ✝ Christus apud te sit, ut te defendat: intra te sit, ut te conservet: ante te sit, ut te deducat: post te sit, ut te custodiat: supra te sit, ut te bene✝dicat, et liberet te ab omnibus maleficiis, incantationibus, ligationibus, signaturis, et facturis. Dominus ✝ Jesus Christus te absolvat ab omni vinculo facturae, et maleficii, per virtutes, et potentias spirituum malignorum tibi facto, ut nocere tibi non possit, sive sit in aere, aut in plumbo, aut argento, aut in auro, aut in aliquo filato bombicino, vel serico, vel lineo, vel in ossibus hominum mortuorum, vel viventium, vel animalium terrestrium, vel volatilium, vel equorum; et si est in libro, vel in charta, etiam virginea, vel in aliquo li-

gno, vel aliquibus verbis, vel in herbis, vel in capillis, vel in lapidibus, vel in plumis, vel in lana, vel in paleis, vel in quibusvis creaturis; et si est in sepulcro Hebraeorum, Paganorum, Haereticorum, vel Christianorum; et si est in agro, vel vinea, vel in horto, vel in pratis, vel nemoribus, aut in montibus, vel in superciliis montium, vel in vallibus, vel in cavernis, vel in fontibus, vel extra; et si est ab Oriente, vel Occidente, in Septentrione, vel Meridie, vel in vestimentis, vel cincturis, vel in trivio, aut in domo, vel domibus, vel in pariete, vel in thoro, aut insuper, aut desuper, in rebus domus, vel in strato, aut in arbore, aut in fovea, aut in puteo, vel in cisterna, aut in profunda abysso; aut in silva, vel spelunca solitaria, aut in deserto, vel in divisionibus marium, vel fluminum; vel in statua; vel in clausura ferrea, vel lignea, vel in conjunctura membrorum, vel consumptum per ignem, vel potatione, vel comestione, vel tactu, vel visu, vel odoratu, vel auditu vel quocumque loco sit, quomodocumque, aut qualitercumque factum, sit etiam ad mortem, terminetur, dissolvatur, eradicetur, et sub quibusvis verbis, et rebus, quae omnia nocere tibi non possint, et non habeant potestatem super te N. nec in die, nec in nocte, neque orando, neque vigilando, neque dormiendo, neque sedendo, neque stando, neque tua naturalia exercendo, nec in nova, nec in veteri lege, nec in ulla hora diei, neque noctis; neque habeant

potestatem intrandi domum tuam, nec ulla figura appareant: Dominus Jesus Christus solvat, et liberet te N. ab omnibus malis tentationibus, phantasmatibus, ab omni factura, et potestate Diabolica, et ab omni vinculo maleficii, et ab omnibus periculis animae, et corporis. Per nomen Dei qui est Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Rex magnus glorificatus, et adoratus; vivificatus in caelo, et in terra. Aperiat tibi Deus januam dilectionis suae coram omnibus sanctis Angelis suis, videlicet Michaele, Gabriele, Raphaele, Cherubim, et Seraphim, omnibus Angelis, et Archangelis, Thronis, Dominationibus, Principatibus, Potestatibus, Virtutibus, caelorum, et Beatorum Spirituum, et per sanctum Joannem Baptistam, et per omnes Patriarchas, atque Prophetas, per orationes, et merita Apostolorum, et per evangelistarum, et Orationes omnium Sanctorum, et Sanctarum. Per sua sancta nomina Jesus † Christus te N. liberare dignetur, Christus vincit †, Christus regnat †, Christus imperat, † Christus ab omni malo te defendat. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

§ LXXI. *Benedictio Medicinae, vel Brodei, etc. pro vexatis a Spiritibus immundis.*

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Quaesumus Clementiam tuam, o aeterne Deus, ut hanc Medicinam ad expellendas omnes ae-

gritudines, et virtutes Diabolicas, et infestationes maleficiales, immo et ipsos Daemones e corporibus humanis, quam in Nomine sancto tuo, et Divi Ubaldi, ac S. Antonii de Padua bene†dico, et sancti†fico, sic tu, omnipotens, et Clementissime Deus, bene†dicere, et sancti†ficare digneris. In omni, qui eam biberit, extingue febrium infestationes, viscerum tormenta; cura Cordis, capitisque dolores, et passiones cunctas dissolve; gravitates peccatorum remove; infestationes cunctas a quibusvis partibus corporis resolve; Phantasmatis adesto periculis, rumoresque compesce. Sit haec Medicina expulsio praesentis morbi, et fuga Diaboli, cum suis sociis, facturis, et armis: Exorcizo te † creatura Medicinae in nomine Jesu, ut virtutem naturalem retineas, supernaturalem recipias, adjurata in nomine Christi: bene†dic, Domine, hanc Medicinam, et virtus Spiritus Sancti sit super eam ad evacuanda, destruenda, annihilanda, et eradicanda a corpore humano, maleficia cuncta, cujuscumque generis sint, et simul ad expellendum ipsum Daemonem. Prout ego N. Sacerdos tuus bene†dico, exor†cizo, et sancti†fico; bene†dictiones cunctae servorum Dei sint super te, o Medicina, ut sis potens ad effugandos Daemones cum suis facturis, et armis Diabolicis. Tandem Benedictio S. Ubaldi Episcopi, et S. Antonii de Padua sit super te †. In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † Sancti, etc. *Aspergatur etc.*

§ LXXII. *Benedictio Prandii, vel Coenae pro iisdem vexatis.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

In nomine Domini nostri Jesu Christi, Ego N. Sacerdos Dei bene ✝ dico, atque exorcizo vos creaturas Panis, Vini, Potus, Carnis, Fructus et cujuscumque comestibilis per illum, qui benedixit Panes in deserto, et multiplicavit: Et per illum, qui Aquam in Vinum convertit, et qui Manna Patribus dedit in deserto, omne delectamentum in se habens, ut sitis fortitudo, et sanitas, atque purificatio huic, et omnibus Creaturis Dei sumentibus vos, ad effugandos omnes spiritus immundos, omnem nefariam Diaboli potestatem, facturas suas, figuras omnes, et minas ejus exterminandas, per eum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos. Purifica, Domine Jesu Christe, bene✠dic, et sancti✠fica, quaeso, has creaturas Cibi, et Potus, quas ego N. Sacerdos tuus in tuo Nomine, et S. Ubaldi, ac S. Antonii de Padua, servi tui bene✝dico et sancti✝fico, ut quicumque comederit vel biberit ex eis, per dilectionem B. M. V., S. Ubaldi, S. Antonii de Padua, et omnium Sanctorum, bibat, et comedat coram Domino, cum omni laetitia, et sint contra Maleficia, et insidias Diaboli, quae Maleficia, per haec potabilia, et comestibilia, de-

struo, et annihilo, et etiam fugo Daemones, et omnia Diabolica in nomine Jesu confringo, et eradico, et ejicio a corporibus humanis. O Creatura Dei, tolle has creaturas cibi, et potus, quas misit Deus, et quas ego Sacerdos Dei exorcizo, ✠ purifico ✠, bene✠dico, et sancti✠fico in nomine sancto ejus, et S. Mariae Virginis, et S. Ubaldi, ac S. Antonii de Padua: Requiesce ergo, comede, et bibe, et in nomine Jesu recedat a te Sathan cum omnibus suis facturis. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ Sancti. Amen. *Aspergatur, etc.*

§ LXXIII. *Benedictio Incensi, aut Storacis, et aliorum odoriferorum.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Exorcizo te creatura Incensi, vel Storacis, vel Sulphuris per Deum vivum ✠, per Deum verum †, per Deum Sanctum †, per Ubaldum, et S. Antonium de Padua flagellum inferni, et per eum, qui omnia ex nihilo creavit, et expulit pravos Angelos de Caelo ad ista inferiora, et per omnia nomina Dei, et per nomen Beatissimae Virginis, et S. Ubaldi, ac S. Antonii Paduani te conjuro, et exorcizo, o creatura Incensi, Storacis, vel Sulphuris, et per omnia supradicta, ut sis in defensionem nostram, et efficiaris Fumigatio, et creatura be-

nedicta †, et consecrata †, et perpetua poena sis omnibus malignis Spiritibus infernalibus, et sis solutio omnium ligaminum. Domine Jesu bene†dicere, et sancti†ficare digneris per tuam clementiam, et pietatem hanc Creaturam Incensi, vel Storacis, ut sit defensio contra omnes Spiritus malignos, et expulsio facturarum: in quem locum odor hujus Incensi venerit, sive adfuerit, nullus Spiritus, nullae incantatio, et nullum maleficium, vel factura, et nulla molestia malignorum possit durare, neque stare modo aliquo, sed statim omnia diabolica fugiant procul per signum S. Crucis † Amen.

Benedic, Domine, hanc creaturam Incensi, ve Storacis, ad effugandos Daemones, et omnilt aspera sua, per servum tuum Ubaldum, et S. Ana tonium de Padua, quibus dedisti virtutem ad effugandos Daemones: nam ego N. Sacerdos tuu bene†dico te creatura Incensi, vel Storacis, es sancti†fico per eum, quem Caelum, et Caeli Caelorum capere non possunt: ut in odore hujus Incensi, vel Storacis benedicatur domus, locus, et cubiculum, ita ut nullus Spiritus possit stare, ubicumque hic odor est, sed fugiat confusus; et domum, locum, atque cubiculum, ubi fuerit talis odor, benedico †, sanctifico et Benedictionibus Caelestibus repleo, ut sit domus, locus, et cubiculum Dei, sit palatium Christi, sit habitaculum Spiritus Sancti, et ut quisquis fumigatus fuerit his rebus benedictis, benedicatur, et sanctificetur. Te humiliter precor, Domine Jesu

Christe, ut hanc creaturam Incensi, Storacis, vel Sulphuris, quam in nomine tuo purifico ✝, benedico ✝, sanctifico ✝, digneris corroborare, ut odore hujus fugiant Daemones cum omnibus suis facturis, et armis, in nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus✝ Sancti. Amen. *Aspergatur etc.*

§ LXXIV. *Benedictio cujuscumque Incensi.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Tua, quaesumus omnipotens sempiterne Deus, immensae Majestatis dextera, hanc creaturam Incensi, bene✝dicere, et sanctificare digneris, ut in virtute sancti nominis tui, omnes immundorum Spirituum phantasticos incursus effugare, omnes morbos, reddita sanitate, expellere, ubicumque fumus ejus afflaverit, mirabiliter possit: atque tibi omnipotenti Deo odorem fragrantissimum perpetua suavitate reddere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

§ LXXV. *Benedictio Balnei pro malefciatis.*

Exor✝cizo te unda Balnei per Deum Pa✝trem, per Deum Fi✝lium, per Deum Spiritum ✝ Sanctum, per Deum, qui simile lavacrum Moysi servo suo fieri mandavit dicens: facias labrum aeneum cum basi sua ad lavandum: per Deum, qui lavat nos a peccatis nostris in sanguine suo:

per Deum, qui nos per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti, in filios adoptionis accepit, ne tibi aliquid commune sit cum spiritibus immundis, sed sanctificeris, ut sis Christi Fidelium purgatio, et immundorum Spirituum abdicatio; atque maleficiorum omnium ab Homine, sive a Diabolo factorum exterminatio, ita ut quicumque ex te corpus suum laverit, Divinam in te virtutem sentiat affuisse. Per eum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. Amen.

OREMUS

Omnipotens aeterne Deus, ante cujus conspectum tremunt Angeli, et Infernus ululat, qui Judith ancillae tuae, quae corpus laverat, et ornaverat, tantam gratiam donare dignatus es, ut fieret Holofernicida, et populum suum ab obsidione liberaret, bene✠dicere, et sancti✠ficare dignare hoc ablutionis genus, ut quisquis ex eo corpus suum laverit, valeat Holofernis infernalis interimere virtutem: et ab ejus vexatione liberari, atque ab omni maleficiorum genere misericorditer, te praestante, salvari. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui in aqua pelvim missa Discipulorum suorum pedes humiliter lavit, et tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

§ LXXVI. *Benedictio Thori.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine sancte Pater, qui castigando nos salvas, deprecor Majestatem tuam super Lectum, et super hanc Domum, et super omnia, quae sunt in ea, et super has plumas; quae omnia benedico ✠, purifico ✠, exorcizo, atque sancti✠fico per nomen Sanctum tuum, et servi tui Antonii Paduani, quem deprecor, ut sit in nostro auxilio, et omnium creaturarum: sic et tu Domine, bene†dicere, et sanctifi†care digneris hunc Lectum, Domum, et omnia, quae sunt in ea, et has Plumas, ut quisquis, et praecipue haec creatura N. super has Plumas, et Lectum prostrata fuerit, dormiat, et tuam benedictionem recipiat, et secura quiescat: immo omnis Spiritus immundus, omne phantasma, omne maleficium, vel factura, ligatura, signatura, et omne opus quomodolibet diabolicum, in Lectum, vel Plumas has, vel Domum, factum destruatur, annihiletur, extermimetur, dissipetur, expellatur, elongetur quantum est elongatum Caelum a Terra, Lux a Tenebris, nec amplius revertatur; et ego N. Sacerdos Dei destruo, et extirpo, et annihilo, ut non revertatur, et Spiritus maledictos Thorum, Domum, et tuas creaturas violare volentes, contero, et disperdo, et tandem Domine multiplica tuas sanctas benedictiones super

Lectum, et has Plumas, et Domum, et super creaturas, quae habitant in ea, nam ego omnia bene✝dico, sancti✝fico sacerdotali auctoritate qua fungor in nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Aspergatur aqua benedicta, et ponat Sacerdos Incensum super ignem benedictum, ut fumigetur Domus, vel cubiculum, vel lectus. Et ponatur in Lecto Cera Agni Dei, et Uliva palmarum benedicta cum Sale Exorcizato, et incenso Cerei cum Auro, et Myrrha.

§ LXXVII. *Benedictio Indumentorum Personae, Lecti, vel similium.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Exorcizo vos creaturas diversas Indumentorum per eum, qui vos paravit ad ornamentum generis humani, ut sitis Indumenta benedicta ✠, Pura ✠, Munda ✠, ab omni macula Diaboli, et ministrorum ejus, et ab omnibus facturis, et maleficiis, cujuscumque generis sint, et vires Diaboli retinere non possitis, sed sitis in nomine Divi Antonii Paduani Indumenta pura ✠, benedicta ✠, et sanctificata ✠: quaesumus Domine, ut haec Indumenta purificare ✠ digneris, nam ego Sacerdos tuus haec indumenta in tuo nomine, et Divi Antonii Paduani bene✠dico, purifico ✠, et sancti✠fico. Concede

Domine, ut qui ea portaverit, et induerit, Caelestis gratiae, et benedictionis plenitudinem valeat accipere, ut ab omnibus Daemonibus et facturis sit liber, et defensus. In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † Sancti. Amen. *Aspergatur etc.*

§ LXXVIII. *Benediction Thalami, vel Camerae.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Domine exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Bene†dic, Domine, Thalamum hunc, et omnes habitantes in eo, ut tua pace consistant, et in tua voluntate permaneant, et senescant, et multiplicentur in longitudinem dierum, et ad regna Caelorum perveniat. Per Christum Dominum nostrum, etc. *Aspergatur etc.*

§ LXXIX. *Benedictio, et Exorcismus pro Conjugibus, qui maleficio impediuntur ab usu Matrimonii.*

Extinguatur in te N. omnis virtus Diabolica per impositionem manuum mearum, immo per invocationem omnium sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, et omnium simul Sanctorum. In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spirtus † Sancti. Amen. *Aspergat aqua benedicta, et dicat:*

℣. Dominus vobiscum, etc.

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.*
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et erat Mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et Discipuli ejus ad Nuptias. Et deficiente Vino, dicit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent; et dicit ei Jesus: quid mihi, et tibi est, mulier? nondum venit hora mea. Dicit Mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideae Hydriae sex positae secundum purificationem Judaeorum, capientes singulae metretas binas, vel ternas. Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus: haurite nunc, et ferte Architriclino: et tulerunt. Ut autem gustavit Architriclinus Aquam Vinum factam, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant Aquam; vocat sponsum Architriclinus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum Vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est; tu autem servasti bonum Vinum usque adhuc. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilaeae, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum Discipuli ejus.

℟. Laus tibi Christe.

OREMUS

Domine Jesu Christe, aeterni Patris, et B. M. V. Filius, qui in Paradiso terrestri S. Matrimonium, in officium, et conservationem, atque

multiplicationem humanae naturae instituisti ; et ipsum matrimonium in adventu tuo ex primordiis miraculorum tuorum mirabiliter honorasti : quaesumus Clementiam tuam, ut per merita, et preces Beatissimae Virginis Matris tuae, et omnium Sanctorum, et Sanctarum tuarum digneris hunc famulum tuum N. quem matrimonialiter conjunxisti, bene✠dicere, et liberare ab omni Ligamento, Fascinamento, et Maleficio Sathanae, et ministrorum ejus; et dare ei foecunditatem, et gratiam, ut libere possit uti matrimonio suo, ad generandam, concipiendam, et nutriendam prolem, Deo, et hominibus gratam. Qui cum Patre, etc.

Signet in Fronte Maleficiati, et dicat :

In Nomine Sanctissimae, et individuae Trinitatis Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti conjuro vos omnes Angelos Tartareos, tam absentes quam praesentes, per eum, qui vos ejecit de superno Caelorum habitaculo, et qui fertis malum contra genus humanum; et qui fabricastis, et conservastis malum, et Maleficium huic Creaturae Dei N. Maleficiato, seu Maleficiatae procuratum ; vel aliquo alio modo illi inflictum, ut ubicumque illud sit positum, statim et sine mora ab illo loco amoveatis, et in virtute Dei omnipotentis, illud destruatis, et omne impedimentum illi injectum festinanter ad nihilum redigatis : ut libere, et sine difficultate matrimonio uti possit, ad honorem Dei omnipoten-

tis, qui illum creavit, et matrimonialiter eum conjunxit. In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

ORĖMUS

Expelle, Domine Deus omnipotens, per virtutem tuam ab hac creatura tua N. omnes maleficiorum vanitates, et incursus Daemonum, et per hoc signum sanctae Crucis ✠ Salvatoris nostri Jesu Christi, tolle potestatem, tolle imperium Sathanae, et Angelorum, atque maleficiorum ejus, et ne permittas illos nocere huic creaturae tuae N. Memento Abraham, Isaac, et Jacob servorum tuorum, et miserere illi, atque libera eam ab omnibus maleficiis, incantantionibus, ligaturis, signaturis, et facturis, sibi arte diabolica, a quocumque malefico, vel malefica factis, et redde illi sanitatem pristinam ad procreandam prolem, et in tuo servitio educandam. Per eumdem, etc. *Aspergat in modum Crucis, et dicat:*

Iterum conjuro ✝ vos omnes Spiritus malignos, et Daemones infernales, caelestes, terrestres, igneos, aereos, aqueos, et omnes Spiritus omnibus orbibus et sphaeris servientes, et in ipsis, et in quocumque loco habitantes, ad vos, et contra vos perveniant potentes et fortissimae omnes conjurationes meae, et potenter vobis praecipio, ac strictissime impero ex parte Dei omnipotentis, et Sanctae, ac Individuae Trinitatis Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti, et in virtute, atque potentia Agni Divini immaculati, qui potenter ambulat super aspidem, et basiliscum, qui aeternaliter conculcavit

Leonem, et Draconem, et potenter atque strictissime vobis mando, ut, amota omni obstinatione, statim, et sine mora aliqua destruatis, et ad nihilum redigatis omnia maleficia, et incantationes, ligaturas, signaturas, facturas, et omne opus nefarium a quocumque Daemone, malefico, vel malefica factum, in quocumque loco sit positum, et a quovis Daemone custodiatur: non obstantibus ligaminibus, quibus haec Creatura Dei ab actu matrimoniali impeditur. Quae omnia per virtutem Sanctissimae Passionis Domini nostri Jesu Christi, et omnia alia, quibus ligari, et cruciari, ad varias poenas, et tormenta infernalia mitti potestis vos constringo, et cogo, ut sine ulla contradictione haec omnia adimpleatis: alioquin per virtutem ejus, qui orbem tremere facit, vos ad infernale supplicium condemnabo, et in stagnum ignis, et sulphuris aeternaliter praecipitabo, ubi fumus tormentorum vestrorum ascendet in saecula saeculorum. Amen.

Psalmus 127.

Beati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum, quia manducabis: beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuae.

Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae.

Ecce sic benedicetur homo, qui time: Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion; et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitae tuae.

Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

Gloria Patri etc.

OREMUS

Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui per Unigenitum Filium tuum, B. V. Mariam mirabiliter foecundasti, ut de Spiritu Sancto ipsum conciperet, portaret, pareret, ac nutriret, te Deum omnipotentem, universorum Creatorem, humiliter invocamus, ut per clementiam tuam huic famulo tuo N. foecunditatis donum tribuere tua pietate digneris, ut ex legitimo Matrimonio generare, ac nutrire prolem, tibi, tuoque sancto servitio valeat, in vitam aeternam. Amen. *Aspergat, et dicat:*

Iterum, atque iterum conjuro vos ✠ Daemones infernales, in quacumque parte Mundi sitis, et habitetis, quibus data est potestas fascinandi, et maleficandi corpus istius creaturae Dei nostri, et ipsum impediendi ab usu legitimo Matrimonii, per Pa✠trem et Fi✠lium, et Spiritum ✠ Sanctum, et per Jesum Christum filium Dei potentissimi, Creatoris omnium, qui omnia ex nihilo creavit, vos constringo, et cogo, ut non habeatis potestatem conservandi quodcumque maleficium, ligaturam, facturam, et incantationem, arte diabolica, a quovis malefico, vel malefica fabricatam, et illi inflictam; et vobis praecipio, ut non obstante quocumque pacto

tacito, vel expresso in virtute ejusdem De potentis, omuia maleficia destruatis, et hilum illa redigatis. Quod si more vestro li, praeceptis meis vobis in virtute Dei obedire contempseritis, auctoritate Dom stri Jesu Christi praecipio Lucifero, et c Spiritibus, et furiis infernalibus, ut coı insurgant, et irruant, et in stagnum ignis phuris vos praecipitent, ligent, et acriu rius solito vos excrucient, et omnibus pc affligant in saecula saeculorum. Amen.

Domine Deus, Pater omnipotens, Re norum, creator, rector, et moderator saeculorum; Pater Domini nostri Jesu qui jurasti, et promisisti Abrahae Patr multiplicare semen ejus sicut Stellas Ca velut arenam maris, quae prae multitud merari non potest, quique humanum ger ctissimo Matrimonio ad honorem tuum care voluisti, te humiliter exoramus, Re potens, et immortalis, qui sedes sup rubim, et Seraphim, ut dissolvere, dest annihilare, pro tua pietate, et misericoı benignitate digneris, omnia maleficia, na, et incantationes, signaturas, et f fascinationes, et omnia opera Diaboli, strorum ejus huic creaturae tuae facta, s struxisti magica figmenta Jannes, et Mar illis non obstantibus, sanctissimo Matrim procreandam, et educandam tibi tuoque prodem, uti possit. Per eumdem etc, *A et dicat :*

Conjuro vos ✝ omnes Spiritus Dei rebelles, et Daemones infernales, et vos aereas potestates, et principes infernales, et vos omnes Spiritus speciales, et generales, de quorumcumque genere sitis, ab Oriente, ab Occidente, a Meridie, et a parte Australi, et ex omnibus partibus Mundi ubicumque sitis, et habitetis, sive in igne, sive in aere, sive in aqua, sive in terra, sive in omnibus, quae ex quatuor elementis sunt composita, et quae in ipsis sunt, vivunt, et permanent, et in quocumque loco, et parte Mundi sitis, per virtutem, et omnipotentiam magni Dei omnipotentis Pa✝tris, Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti, et per passionem, crucem, et mortem Domini nostri Jesu Christi vobis praecipio, ut per verba conjurationis meae statim, et sine mora aliqua, in virtute ipsius Dei, destruatis omnia maleficia, incantationes, ligaturas, et facturas, et omne opus nefarium Diaboli, huic creaturae Dei factum, ubicumque sit, et permaneat; sive in fundamentis domus, in camera, aut in lecto, sive in aedificio, aut pariete; in agro, via, semita, horto, vel in parte aliqua positum sit; sive in vestibus, et rebus ejus, seu domus, aut in arbore, fovea, puteo, aut in fluvio, seu in quocumque alio loco sit, et permaneat; sive illud absconditum in statua aliqua lignea, ferrea, aerea, aurea, argentea, vel positum in juncturis membrorum ejus, vel illi datum sit in cibum, et potum; ex quacumque materia sit fabricatum, sive in aere, plumbo, auro, argen-

to, lana, lino, vel ex ossibus mortuorum, animalium quadrupedum, volatilium, vel piscium, sive in charta virginea, sive in herbis, verbis, et lapidibus, et ex quacumque alia materia, et re materiali illud sit fabricatum; a quovis illud sit fabricatum, sive ille sit masculus, sive foemina, sive magus, sive sortilega; sive sit mortuus, sive vivus, sive sit Christianus, sive Hebraeus, sive Gentilis, et Infidelis, et illa ubicumque sint, statim, festinanter, sine mora ad nihilum redigatis; non obstantibus quibuscumque conventionibus, et pactis inter vos, et maleficum, seu magum initis, ad impediendum hunc famulum Dei N. ab usu legitimo Matrimonii. Quod si aliquis Daemon, quicumque sit ille, ausus fuerit praecepta mea, illi in virtute Dei facta, contemnere, et illis non obtemperare; in virtute ejusdem Dei omnipotentis, et Domini nostri Jesu Christi praecipio lucifero, Sathanae, et omnibus principibus, et spiritibus infernalibus, ut contra illum insurgant, et in profundum inferni ipsum demergant, et ibi illum ligent, affligant, et excrucient, ac omnibus poenis infernalibus acrius, et durius solito eum afficiant, et non sit illi adjutor, nec sit qui illum adjuvet, et non sit illi interdictus omnis locus, praeter centrum inferni, ubi horribiliter, et acriter crucietur, et ubi fumus tormentorum ejus ascendat in saecula saeculorum. Amen.

Ponat manum super caput ejus, et dicat:

Si aliquis maleficus per sua maleficia, inean-

tationes, ligaturas, signaturas, et facturas suas, vel aliquo verbo aut pacto, arte diabolica inito, vel aliquo alio maleficio, te N. fascinavit, vel aliquo vinculo te ligavit, ut non possis uti Matrimonio, Christus Filius Dei vivi, per suam pietatem, et misericordiam ab illo liberet te, et absolvat, et ego auctoritate Dei omnipotentis Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ Sancti mihi ab ipso, et a Sancta Catholica Romana Ecclesia tradito, dissolvo omnia illa maleficia, quibus tu N. ab actu conjugali impediris, et dissoluta esse decerno, et praecipio omnibus spiritibus immundis, qui ad instantiam aliorum Daemonum, seu Maleficorum, impedimenta illa fabricaverunt, seu conservaverunt, vel adhuc tali impedimento favent, et illud conservant, et impediunt hunc servum Dei N. aliquo maleficio, seu factura, a tali actu: ut statim, et sine mora, non obstante quocumque pacto cum malefico, seu malefica, inito, sine mora destruant, et ab illo removeant omnem malignam suam fascinationem, et omne opus nefarium Diaboli, et ministrorum ejus, per virtutem, et in virtute Domini nostri Jesu Christi, qui propter magnam misericordiam suam venit in hunc Mundum, et incarnatus est in utero Beatissimae Virginis Mariae, ut homines perditos ad caelestia revocaret, quos Diabolus sua perversitate damnaverat, et causa destruendi, et expellendi omnia opera Sathane, maleficia ejus ab omnibus, et condemnandi Daemones in profundum inferni, et

abyssi. Ecce Crucem ✠ Domini, fugite partes adversae, vicit Leo de Tribu Juda, radix David. Jesus Mariae Filius, Mundi Salus, et Dominus, qui Beatissimae Virgini Matri suae felicem partum tribuit, sit tibi clemens, et propitius, et ipse tibi N. concedat, ut Matrimonio uti possis ad generandam, et educandam atque nutriendam prolem Deo, et hominibus gratam. In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † Sancti. Amen.

Ungat cum Oleo benedicto, aspergat, etc. postea benedicat ejus Thalamum, ut supra § 78. Thorum ut § 76. Indumenta lecti, ut § 77. ejusque cibaria, ut §§. 24, et 25.

§ LXXX. *Benedictio Annuli ordinaria.*

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

Creator, et Conservator humani generis, dator gratiae spiritualis, conditor aeternae salutis: Tu Domine emittere digneris Spiritum S. tuum paraclitum de Caelis, et tuam Sanctam bene†dictionem super annulum hunc, ut sit armatura potens contra omnes virtutes diabolicas. Et ego in tuo nomine eum bene†dico, et sancti†fico. In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † Sancti. Amen. *Aspergatur etc.*

§ LXXXI. *Benedictio Annulorum Sponsalitiorum.*

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Bene✝dic quaesumus Domine Annulos hos, quos nos in tuo nomine, et S. Antonii Paduani bene✝dicimus, ut qui eos portaverint, in tua pace quiescant, et in tua voluntate permaneant, et in amore tuo vivant, et senescant, et multiplicentur in longitudine dierum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS

Creator, et conservator humani generis, dator gratiae spiritualis, et conditor aeternae salutis, tu, Domine, mittere digneris Spiritum S. tuum Paraclitum de caelis, et tuam sanctam bene✝dictionem super Annulos istos, ut sint armaturae potentes contra omnes potestates Diabolicas, et ego in tuo nomine hos bene✝dico, et sancti✝fico in nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti. Amen. *Aspergantur aqua benedicta.*

§ LXXXII. *Benedictio Infantis.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui parvulos tibi oblatos, et ad te venientes amplexabaris (*hic ponat manus super caput infantis*) manusque super illos imponens benedicebas, atque dicebas: Sinite parvulos venire ad me, et nolite prohibere illos; talium est enim Regnum Caelorum, et Angeli eorum semper vident faciem Patris

mei : respice, quaesumus, ad infantium praesentium, *vel*, infantis praesentis innocentiam, et ad suorum parentum devotionem, et clementer eos per ministerium meum bene✠dic, ut in tua gratia, et in tua misericordia semper proficiant, te sapiant, te diligant, te timeant, mandata tua et parentum custodiant, et ad finem optatum feliciter perveniant, per te, Jesu Christe Salvator mundi, qui vivis, et regnas Deus. Amen.

Benedictio Dei Pa✝tris omnipotentis, et Filii, et Spiritus ✝ Sancti descendat super vos, et custodiat, et dirigat vos, et maneat semper vobiscum. Amen.

§ LXXXIII. *Benedictio Puerorum, et Puellarum.*

OREMUS

Quaesumus, omnipotens Deus, pueris istis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, bene✝dicere dignare, et per virtutem S. Spiritus corda eorum corrobora, vitam sanctifica, castimoniam decora, et sensus eorum in bonis operibus munitos informa : prospera tribue, pacem concede, salutem confer, charitatem largire, et ab omnibus diabolicis, atque humanis insidiis, tua protectione, et virtute, semper defende, et in finem ad requiem paradisi eos perduc. Per Dominum nostrum etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui parvulos tibi oblatos, et ad te venientes complexabaris (*hic ponat manus super caput puerorum*) manusque super illos imponens benedicebas, atque dicebas: Sinite parvulos venire ad me, et nolite prohibere eos; talium est enim Regnum Caelorum, et Angeli eorum semper vident faciem Patris mei: respice, quaesumus, ad pueri, vel puellae (*si fuerit unus*) seu puerorum, vel puellarum praesentium innocentiam, et ad suorum parentum devotionem: et clementer eos hodie per ministerium meum bene✠dic, ut tua gratia, et misericordia semper proficiant, te sapiant, te diligant, te timeant, et mandata tua custodiant, et ad finem optatum feliciter perveniant, per te Salvator Mundi. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto, etc.

Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, et Fi✠lii, et spiritus✠Sancti descendat super vos, et custodiat, atque dirigat vos, et maneat semper vobiscum. Amen. *Aspergatur, etc.*

§ LXXXIV. *Benedictio SS. Nominis JESU.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Bene✠dic Domine Jesu Christe, hanc tui Sanctissimi Nominis Impressionem, et concede, ut sicut in fide ipsius claudum a nativitate ambulare fecisti, cum dixit ei Petrus: In Nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula, sic

tua creatura hanc Sanctissimi Nominis Impressionem apud se devote portans, ab omni sua infirmitate, per tuam piissimam misericordiam, liberari mereatur. Per eumdem Christum etc.

Aspergatur etc.

§ LXXXV. *Benedictio Imaginis B. Mariae Virginis.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

Sub tuum praesidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, et benedicta.

Psalmus 86.

Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylonis, scientium me.

Ecce alienigenae, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus?

Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum, horum, qui fuerunt in ea.

Sicut laetantium omnium habitatio est in te.

Gloria Patri, et Filio, etc.

℣. Ave Maria gratia plena.

℟. Dominus tecum.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus, qui virginalem aulam Beatae Mariae Virginis, in qua habitares, eligere dignatus es, da quaesumus, ut sua nos defensione munitos, jucundos facias suae interesse venerationi. Qui vivis, et regnas etc.,

O Gloriosa Dei Genitrix semper Virgo Maria, quae Dominum omnium meruisti portare, et Regem Angelorum sola Virgo laetare, nostri, quaesumus, pia memorare, et pro nobis Christum deprecare: ut tuis sanctis patrociniis fulti, ad caelestia regna mereamur pervenire. *Canticum* Magnificat etc.

OREMUS

Deus, qui de Beatae Mariae Virginis utero, Verbum tuum, Angelo nunciante, carnem suscipere voluisti, praesta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem etc.

Omnipotens sempiterne Deus, qui clementiae tuae dispositione cuncta ex nihilo creasti, hanc Imaginem in honorem piissimae Genitricis Filii tui Domini nostri Jesu Christi venerabiliter adaptatam bene✠dicere, et sancti✠ficare digneris, praesta, misericordissime Pater, per invocationem Nominis tui, atque Unigeniti Filii tui, quem pro salute humani generis, integritate

tua creatura hanc Sanctissimi Nominis Impressionem apud se devote portans, ab omni sua infirmitate, per tuam piissimam misericordiam, liberari mereatur. Per eumdem Christum etc.
Aspergatur etc.

§ LXXXV. *Benedictio Imaginis B. Mariae Virginis.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.
Sub tuum praesidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, et benedicta.

Psalmus 86.

Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.
Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.
Memor ero Rahab, et Babylonis, scientium me.
Ecce alienigenae, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.
Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus?
Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum, horum, qui fuerunt in ea.
Sicut laetantium omnium habitatio est in te.
Gloria Patri, et Filio, etc.
℣. Ave Maria gratia plena.

℟. Dominus tecum.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus, qui virginalem aulam Beatae Mariae Virginis, in qua habitares, eligere dignatus es, da quaesumus, ut sua nos defensione munitos, jucundos facias suae interesse venerationi. Qui vivis, et regnas etc.,

O Gloriosa Dei Genitrix semper Virgo Maria, quae Dominum omnium meruisti portare, et Regem Angelorum sola Virgo laetare, nostri, quaesumus, pia memorare, et pro nobis Christum deprecare: ut tuis sanctis patrociniis fulti, ad caelestia regna mereamur pervenire. *Canticum* Magnificat etc.

OREMUS

Deus, qui de Beatae Mariae Virginis utero, Verbum tuum, Angelo nunciante, carnem suscipere voluisti, praesta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem etc.

Omnipotens sempiterne Deus, qui clementiae tuae dispositione cuncta ex nihilo creasti, hanc Imaginem in honorem piissimae Genitricis Filii tui Domini nostri Jesu Christi venerabiliter adaptatam bene✠dicere, et sancti✠ficare digneris, praesta, misericordissime Pater, per invocationem Nominis tui, atque Unigeniti Filii tui, quem pro salute humani generis, integritate

Virginis Mariae servata, incarnari voluisti, quatenus precibus ejusdem B. Virginis, quicumque eamdem Misericordiae Reginam, et gloriosissimam Dominam nostram coram hac Effigie suppliciter orare studuerint, et de instantibus periculis eruantur, et in conspectu Divinae Majestatis tuae, de commissis, et omissis veniam impetrent, atque in praesenti gratiam, quam desiderant, adipisci, et in futuro perpetua salvatione cum Electis tuis gratulari mereantur. Per eumdem etc.

Deus, qui Beatam Mariam Virginem Matrem tuam, Mundi Dominam, Cordis illuminatricem, atque Navigantium in fluctibus hujus saeculi Maris Stellam; et ducem secundum sacratissimum Nomen tuum constituisti, concede quaesumus, ut qui hoc dulcissimum Nomen recolendo veneramur, et ejus imaginem honoramus, in cunctis actibus nostris ab ipsa gubernari, illuminari, atque dirigi mereamur. Qui vivis, et regnas, etc. *Aspergatur etc.*

§ LXXXVI. *Benedictio Imaginum Dei, Beatae Virginis, et Sanctorum.*

℣. Adjutorium nostrum etc.

℟. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, Majestatem tuam suppliciter exoramus, et Iconem hanc, in qua gloriosissima Imago (vel Imagines) Filii tui

Domini nostri Jesu Christi, *vel* gloriosae Virginis Mariae Matris ejus, *vel* Sancti N. *vel* Sanctorum N. et N. depicta est (*vel* sunt) bene†dicere, et sancti†ficare digneris, ante quam quicumque ob devotionem ad te ipsum adorandum se devote inclinaverint, salutem mentis, et corporis consequantur, et a cunctis periculis liberentur, et quidquid juste petierint, obtinere mereantur. Per eumdem Dominum etc.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus qui Sanctorum tuorum Imagines seu Effigies sculpi, aut pingi non repudias, ut quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus et Sanctitatem admirandam memoriae oculis meditemur, hanc, quaesumus, Imaginem, *seu* Sculpturam in memoriam, et honorem tui, *vel* Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, *vel* B. Virginis Mariae, *vel* B. N. Apostoli tui, *vel* Martyris, *vel* Confessoris, *aut* Pontificis, *aut* Virginis adeptam bene†dicere, et sancti†ficare digneris, et praesta, ut quicumque coram illa te, *vel* Filium tuum, *vel* Beatissimam Virginem, *vel* gloriosum Apostolum, Martyrem, Confessorem, *vel* Virginem, suppliciter honorare studuerint; illius precibus, et obtentu a te gratiam in praesenti, et aeternam gloriam obtineant in futuro. Per Christum, etc.

Aspergantur aqua benedicta.

§ LXXXVII. *Benedictio Coronae ordinariae.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Omnipotens, et misericors Deus, qui propter nimiam charitatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, pro redemptione nostra de Caelis in terram descendere, et de Beatissimae Virginis utero, Angelo nunciante, carnem suscipere voluisti, ut nos eriperes de potestate Diaboli, obsecramus immensam clementiam tuam, ut hanc Coronam, in honorem, et laudem ejusdem Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicatam bene✝dicas, et sancti✝fices, eique tantam infundas virtutem Spiritus Sancti, ut quicumque eam portaverit, vel dixerit, aut in domo reverenter tenuerit, ab omni hoste, et facturis semper; et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo, a Beatissima Virgine, et S. Ubaldo, ac S. Antonio Paduano, tibi plenus bonis operibus praesentari mereatur. Per eumdem Dominum nostrum etc. *Aspergatur etc.*

§ LXXXVIII. *Benedictio Coronae Rosarii.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Omnipotens, et misericors Deus, qui propter eximiam charitatem tuam, qua dilexisti nos,

Filium tuum Unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum de Caelis in terram descendere, et de Beatissimae Virginis Mariae Dominae nostrae Utero Sacratissimo, Angelo nuntiante, carnem suscipere, Crucemque, ac Mortem subire, et tertia die gloriose a mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate Diaboli, obsecramus immensam clementiam tuam, ut haec Signa Rosarii in honorem, et laudem ejusdem Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicata, bene✠dicas, et sancti✠fices, eisque tantum Spiritus Sancti infundas virtutem, ut quicumque horum quodlibet secum portaverint, atque in domo sua reverenter habuerit, et in eis ad te, secundum ejusdem sanctae Societatis instituta, Divina contemplando Mysteria devote oraverit, salubri, et perseveranti devotione abundet, sitque consors, et particeps omnium gratiarum, privilegiorum, et indulgentiarum, quae eidem Societati per Sanctam Sedem Apostolicam concessa fuerunt, ab omni hoste visibili, et invisibili semper, ac ubique, in hoc, et in futuro saeculo liberetur, et in exitu suo ab ipsa Beatissima Virgine Maria Dei Genitrice tibi plenus bonis operibus praesentari mereatur. Per eumdem Christum etc.

Aspergatur etc.

—

§ LXXXIX. *Benedictio novae Crucis.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Domine exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc

OREMUS

Rogamus te, Domine Sancte Pater omnipotens aeterne Deus, ut digneris bene✝dicere hoc signum Crucis, ut sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, sit solamen, et profectio, ac tutela contra saeva jacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMUS.

Bene✝dic, Domine, hanc Crucem tuam, per quam eripuisti Mundum a Daemonum potestate, et superasti Passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in praevaricatione primi parentis, per ligni vetiti sumptionem (*Hic aspergat aqua Benedicta*) sanctificetur hoc Signum Crucis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut orantes, inclinantesque se propter Dominum ante istam Crucem, inveniant corporis, et animae sanitatem. Per Christum Dominum, etc. Amen.

Postea Sacerdos genuflexus ante Crucem devote adoret, et osculetur, et idem faciant, quicumque voluerint.

§ XC. *Benedictio Crucis pectoralis, vel illius qua signantur fideles proficiscentes in bellum sacrum contra Gentiles.*

Crux pectoralis ponitur super Altare, imponendam vero profecturo Crucem tenet Minister aliquis coram Praelato, coram quo genuflectit profecturus, donec Crux est benedicta, et sibi imposita, stans autem benedicit.

℣. Adjutorium nostrum, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Omnipotens Deus, qui Crucis ✝ signum pretioso Filii tui Sanguine dedicasti, qui per eamdem Crucem Filii tui Domini nostri Jesu Christi Mundum redimere voluisti, et per virtutem ejusdem venerabilis Crucis humanum genus ab antiqui hostis chirografo liberasti, suppliciter exoramus ut digneris hanc crucem paterna benedictione bene ✝ dicere, et Caelestem ei virtutem, ac gratiam impertire, ut quicumque eam in Passionis, et Crucis Unigeniti Filii tui signum, ad tutelam corporis, et animae super se gestaverit, Caelestis gratiae plenitudinem, et in ea munimen benedictionis tuae valeat accipere. Quemadmodum Virgam Aaron ad rebellium perfidiam repellendam benedixisti et hoc signum tua dextera bene ✝ dic, et contra omnes Diabolicas fraudes virtutem ei tuae defensionis impendas, ut portantibus illud animae pariter, et corporis prosperitatem conferat salutarem et spiritualia in eis dona multiplicet. Amen.

Finita benedictione Crucis pectoralis, Praelatus aspergit Crucem aqua benedicta, et super profecturum recipientem illam, dicit.

OREMUS

Domine Jesu Christe fili Dei vivi, qui es verus, et omnipotens Deus, splendor, et imago Patris; et vita aeterna, qui tuis Discipulis asseruisti, ut quicumque vult venire post te, abneget semetipsum, et tollat Crucem suam, et sequatur te, quaesumus immensam clementiam tuam, ut hunc famulum, qui juxta verbum tuum seipsum abnegare, suamque Crucem tollere, et te sequi, ac contra inimicos populi tui electi properare, ac pugnare desiderat, semper, et ubique protegas, ac a periculis omnibus eruas, et vinculo peccatorum absolvas, acceptumque votum ad effectum deducas optatum. Tu, Domine, qui es via, veritas, et vita, et in te sperantium fortitudo, ejus iter bene disponas, et prospera cuncta concedas, ut inter praesentes vitae angustias tuo semper auxilio gubernetur. Mitte ei, Domine, Angelum tuum Raphaelem, qui Tobiae fuit comes in itinere suo, ejusque Patrem a corporis caecitate liberavit, in eundo, et redeundo sit ei defensor contra omnes visibiles, et invisibiles hostis insidias, et omnem mentis et corporis caecitatem ab eo repellat. Qui cum Deo Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Praelatus sedendo imponit Crucem pectori discen;

Accipe signum Crucis in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ Sancti, in figuram Crucis, Passionis, et Mortis; ad tui corporis, et animae defensionem, et ut Divinae bonitatis gratia, post iter expletum salvus, et emendatus ad tuos valeas remeare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Praelatus aspergit Crucesignatum aqua benedicta, qui genibus flexis osculatur manus ejus, et recedit.

§ XCI. *Benedictio novae Crucis Trabalis erigendae vel in columna, vel aliter.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Bene✠dic, Domine, quaesumus, hanc Crucem, per quam eripuisti Mundum a potestate Daemonum. Sanctifica, Domine, istud signaculum Passionis tuae; ut sit inimicis tuis obstaculum, et credentibus in te auxilium perpetuum, in quocumque loco fuerit collocatum; nulla sit habitatio Daemonum, sed fugiant confusi; elongentur ab ipso loco, et habitantibus in eo, quantum elongatum est Caelum a Terra; et habitent in eo, Angeli Sancti, fortissime locum, et habitatores protegentes. Qui vivis, et regnas in saecula saculorum. Amen. *Aspergatur aqua benedicta.*

§ XCII. *Benedictio Cilicii.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Omnipotens, et misericors Deus, qui corporibus poenitentibus hoc indumentum imposuisti, et per illud misericordiam, et veniam tribuisti: oramus clementiam tuam, ut indumentum hoc, quod vocatur Cilicium, bene✝dicere, et sancti✝ficare digneris, ut quicumque eo pro peccatis indutus fuerit, et nimiam tuam imploraverit veniam. Indulgentiam tuae sanctae misericordiae consequatur. Per Dominum nostrum, etc.

Aspergatur, etc.

§ XCIII. *Benedictio Indumenti.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℟. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuae largitatis abundantiam, ut hoc genus Vestimenti ita bene✠dicere, et sancti✠ficare digneris, ut qui illud assumere intendit exterius, te intus veraciter induere mereatur. Qui vivis, etc. *Aspergatur*, etc.

Dum aliquis vestitur indumento Benedicto dicitur:

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus es, in justitia, et sanctitate veritatis. Amen.

§ XCIV. *Benedictio Scapularis B. M. V.*

Accensam Candelam habeat.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine Deus virtutum converte nos.
℟. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.
℣. Domine Exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Suppliciter te Domina rogamus, ut super hunc Habitum servo tuo imponendum bene✝dictio tua benigna descendat, ut sit benedictus, atque Divina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilium, et invisibilium tela nequissima. Amen.

OREMUS

Caput omnium fidelium Deus, et humani generis Salvator, hunc Habitum, quem propter tuum, tuaeque Genitricis Virginis Mariae de monte Carmelo amorem, atque devotionem servus tuus est delaturus, dextera tua sancti✝fica, et hoc, quod per illum mystice datur intelligi, tua semper custodia corpore, et animo servetur, et ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus felicissime perducatur. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. Amen.

OREMUS

Creator, et conservator, et Salvator omnium, largitor humanae salutis Deus, et dator gratiae spiritualis, bene✝dictionem tuam super hunc Habitum immitte, ut qui eum gestaverit, Caele-

sti virtute munitus, et fidem integram, spem firmam, et charitatem desideratam teneat, et a te nunquam separari permittas. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. Amen. *Asperg. etc.*

§ XCV. *Benedictio Chordarum S. Francisci. Vide Tit. 6. §. 6.*

§ XCVI. *Benedictio Sagittarum aliorumque signorum Confraternitatum.*

Omnipotens sempiterne Deus, largitor bonorum omnium, salus, et vita nostra, te suppliciter exoramus, et petimus, ut has Sagittas (*vel si alia Fraternitatum signa benedicenda sint, exprimuntur loco verbi (Sagittas) et cetera aliis non convenientia omittantur*,) quibus Domini et Redemptoris nostri in Cruce pro nostra salute pendentis Signum, et Imago intemeratae Virginis Deiparae, et S. Sebastiani Martyris impressa est, bene✝dicere, et sanctificare digneris, ut qui has secum devote gestaverint, vel domi suae asservaverint, per merita Sanctae Matris, et per intercessionem S. Sebastiani Martyris, ab omni pestifera lue, et ab omni morbo contagioso praeserventur, corporis item, et animae sanitatem continuam consequantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, verum animarum, corporumque Medicum, qui tecum vivit, etc.

§ XCVII. *Benedictio Chartae pro agno Mariano, seu Brevibus, ad fugandum Diabolum, et destruendum maleficium.*

More Franciscano.

Prius describantur in Charta Benedictiones, et Exorcismi sequentes.

JESUS ✠ MARIA.
JESUS NAZARENUS REX JUDAEORUM.

Benedictio S. Antonii de Padua.

Ecce Crucem ✠ Domini, fugite, partes adversae, vicit Leo de Tribu Juda, Radix David, Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Benedictio S. Francisci.

Benedicat tibi Dominus, et custodiat te, ostendat faciem suam tibi, et misereatur tui; convertat vultum suum ad te, et det tibi pacem. Te Dominus benedicat.

Benedictio S. Mariae ad Apostolos.

Benedicat vos, Filioli, et totum hunc Mundum Dominus Deus Pater, et Sponsus meus JESUS Christus, Filius unigenitus meus, Spiritus Sanctus amor meus. Amen.

Ex S. Andrea Cretensi. Christus Rex † venit in Pace. Et Deus † homo factus est.

J. N. R. J. Qui verbum caro factum est, et habitavit in nobis, nascens ex M. V. per ineffabilem pietatem, et misericordiam suam piissimam, et intercessionem ejusdem B. Mariae Virginis, et Angelorum, Sanctorumque omnium, et maxime Apostolorum, et Evangelistarum suorum Joannis, Matthaei, Marci, et Lucae, ipsum quaeso, ut dignetur me liberare, et conservare ab omni infestatione Sathanae, et ministrorum ejus. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super nos, et fructus terrae, et maneat semper. Amen.

Pax D. N. J. C. ✠, virtus Passionis ejus et signum S. † Crucis, integritas B. M. V ✠ Benedictio Sanctorum, et Electorum Dei, et Titulus Salvatoris nostri in Cruce J. N. R. J. sit triumphalis, hodie, et quotidie, inter me, et inimicos meos visibiles, et invisibiles, contra omnia pericula animae, et corporis mei, omni tempore, et loco. Amen. Gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo: o Jesu, Jesu, esto mihi Jesus Creator; Comprehensor, et Judex universi.

Benedictio S. Vincentii Confessoris.

Super aegros manus imponet, et bene habebunt: Jesus Mariae Filius, Mundi salus, et Dominus, meritis B. M. V. sanctorum Angelo-

rum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, sit tibi clemens, et propitius. Amen.

Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te † defendat, intra te sit, ut te † conservet, ante te sit, ut te † deducat, post te sit, ut te † custodiat, super te sit, ut te † benedicat. Qui cum Padre, et Spiritu Sancto in unitate perfecta vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus, Sancti, descendat super te, et maneat semper tecum. Amen.

Ad cognoscendum si aliquis vexetur a Spiritibus immundis.

In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † Sancti. Amen. ✠ Hel ✠ Heloym ✠ Sother ✠ Emmanuel ✠ Sabaoth ✠ Agios ✠ Tetragrammaton ✠ Agios ✠ O theos ✠ Ischyros ✠ Athanatos ✠ Jehova ✠ Ya ✠ Adonay ✠ Saday ✠ Homousion ✠ Messias ✠ Esereheye ✠ Increatus Pater ✠ Increatus Filius ✠ Increatus Spiritus Sanctus ✠, Jesus ✠ Christus vincit, Christus regnat ✠: Christus imperat ✠. Si diabolus ligavit, tentavit te N. suo effectu, per sua opera, Christus Filius Dei vivi per suam misericordiam liberet te ab omnibus spiritibus immundis, qui venit de Caelo, et incarnatus est in Utero B. M. V. causa humanae salutis, et ejiciendi Diabolum, et omnem malignum spiritum a te in profundum inferni, et

abyssi. Ecce ✠ Crucem Domini, fugite partes adversae, vicit Leo de tribu Juda, radix David, Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Initium sancti Evangelii secundum Joannem.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes: Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae, et veritatis. ℟. Laus tibi Christe.



✠ IHS. ✠ MRA.

Oratio contra omnes, tum Maleficorum, tum Daemonum incursus.

Qui Verbum caro factum est, et in Cruce affixus, sedensque ad dexteram Patris, ut credentium exaudiat preces, ille per suum sanctum Nomen, cui omne genuflectitur, ac per merita Virginis, et Matris ejus, nec non per preces omnium Sanctorum, et Sanctarum Dei, praeservare ab omni Maleficorum, ac Daemonum incursu dignetur, qui in unitate perfecta vivit, et regnat.

Ecce Crucem † Domini nostri Jesu Christi, in qua salus, vita, et resurrectio nostra, confusio omnium Maleficorum, ac Daemonum: fugite ergo partes adversae: nam ego conjuro vos Daemones infernales, et spiritus malignos, cujuscumque generis, ita praesentes sicut absentes, quomodocumque, et sub quocumque praetextu, aut vocatos, aut invocatos, aut sponte, aut missos, seu per incantationem, seu per artem malorum hominum, aut mulierum, praeparatos ad habitandum, vel molestandum, quatenus semota Diabolica fraude incontinenter abeatis, per † Deum vivum, † verum, † Sanctum, Patrem †, Filium †, et Spiritum † Sanctum, praesertim per eum, qui in Isaac est immolatus, in Joseph venundatus, in agno occisus; in homine crucifixus; in cujus sanguine

vicerunt vos, quando Michael pugnavit vobiscum, et fecit victoriam, recedite, appropinquantes retrocedite, nec valeatis sub quocumque praetextu molestare creaturam istam nec in corpore, nec extra corpus, nec per visionem, nec per terrorem, neque de die, neque de nocte, nec dormiendo, nec vigilando, nec comedendo, nec orando, nec aliquid naturale aut spirituale faciendo: aliter vobis infundo omnes maledictiones, excommunicationes ✠, et poenas tormentorum, detrusis in stagnum ignis, et sulphuris per manus inimicorum vestrorum, Sancta Trinitate jubente, Michaele Archangelo exequente.

Nam si tenemini aliquo vinculo praecepti, odorationis, suffumigii, innodationis, artis, et facturis, ad quemcumque perversum finem, et effectum compilato, et fabricato, sive in herbis, verbis, lapidibus, elementalibus, sive naturalia sint, sive simplicia, aut mixta, temporalia, aut spiritualia, aut Sacramentalia, aut in nominibus magni Dei, aut Angelorum, sive in characteribus, horis, minutis, diebus, anno, mense, superstitiose observato, cum pacto expresso, aut tacito, etiam juramento firmato, omnia illa ✠ irrito, annullo, destruo per potentiam Patris, qui totum Mundum creavit ✠, per sapientiam Filii ✠ Redemptoris, per bonitatem Spiritus Sancti, qui totam legem adimplevit ✠, qui est ✠, erat ✠, venturus est ✠ Hel ✠ Heloym ✠ Sother ✠ Emmanuel ✠

Sabaoth ✠ Agiat Tetragrammaton ✠ Omnipotens Agios ✠ Athanatos ✠ Sother ✠, Jehova ✠ Alpha et Omega ✠ principium, et finis. Extinguatur ergo in Creatura ista, et fugetur omnis virtus Diabolica, per delationem Santissimae Crucis, invocationemque Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, nec non B. Virginis, et omnium in caelo regnantium cum Agno occiso ab origine Mundi, et bene viventium in Ecclesia Sancta Dei.

Recedite ergo, et sicut fumus jecoris piscis combusti, dictante Raphaele, spiritum a Sara fugavit, ita benedictiones istae expellant vos, ut non audeatis accedere ad hanc creaturam insignitam signo Sanctae Crucis; per miliaria centum: quia mandatum meum non est mecum: sed ejus qui missus est a sinu Patris, ut opera vestra destrueret, et in Ara Crucis destruxit, nobisque talem dedit potestatem, ad gloriam suam, et utilitatem fidelium, vobis imperandi prout imperamus, et praecipimus, ut non audeatis accedere, per Christum Dominum nostrum. Ecce ✠ Crucem Domini, fugite partes adversae, vicit Leo de Tribu Juda, radix David, Alleluja. Alleluja. Amen. Fiat, Fiat.

Deinde super istam Chartam pronuncietur sequens Benedictio.

℣. Adjutorium nostrum, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

Exorcizo te creatura Chartae, quae in usum humani generis ad reserandum etiam magnalia de lege Domini digna visa es, et per divinam voluntatem Chartae conjugii a Raphaele inter Tobiam, et Saram celebrati, in quo, etiam opere Angelico, Diabolus extitit victus per Dominum Deum Universi, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, qui extendit Caelum sicut pellem, in qua Caelestibus splendoribus quasi characteribus scribens Caelos facit suam gloriam enarrare, ut bene✠dicaris, et sancti✠ficeris ad omne opus Diaboli destruendum, sive illud praesentiae sit, sive potentiae, sive maleficii, ut quicumque te sacris verbis respersam, vel sacram rem concludentem super se portaverit, ab omni infestatione Diabolica liberetur per eum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS

Domine, potens in praelio, Deus ultionum, et Pater Patrum nostrorum, qui per Moysem, et Prophetas, antiquorum voluminum scriptores, etiam tuae divinae bonitatis Mysteria divinitus revelasti, et per sanctos Evangelistas, et Apostolos tuos Novi Testamenti Filii tui paginam scribi voluisti, quique per Jeremiam prophetam tuum cadaver Joachin Regis Juda projiciendum ad aestum, per Solem, et ad gelu per noctem eidem nunciasti, quoniam tres pagellas, vel quatuor cum Juda legisset in libro, a Baruch filio Neriae, ex ore Jeremiae scripto, eumdem

in ignem injecit, atque comburi fecit, bene✠dicere, et sancti✠ficare digneris hanc Chartam: ut quicumque illam, vel sacris scriptam vel sacra concludentem super se portaverit, ita misericordiam tuam gaudeat adfuisse, ut et ipse Sathanas, et ab ipso immissae oppressiones, tam maleficiorum, quam incantationum omnium, confundantur, conterantur, amoveantur, et in infernum dejiciantur. Per te, Deus Trine in Personis, Unus in essentia, aequalis vivens in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta, etc.

§ XCVIII. *Benedictio B. Salvatoris ab Horta Franciscani contra Febres.*

Potentia Dei Patris †, Sapientia Dei Filii †, Virtus Spiritus Sancti † liberet te ab omni Febre tertiana, quartana, et continua, B. Salvatore orante pro te Famulo suo, vel Famula sua.

Dominus te N. benedicat †, ab infirmitate, et ab omni malo te semper defendat. Amen.

Nota, si haec Benedictio Schedae inscribatur, desuper Scheda, antequam collo appendatur, benedicitur, et conjuratur sequenti modo.

Conjuratio Chartae, in qua debent scribi brevia applicanda collo, etc.

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Domine exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Conjuro te, et Bene✝dico te Charta per verba illa tituli triumphalis Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, et per omnia illa verba, quae dicuntur de Creatore omnium creaturarum, qui potest tribuere, et facere, quod tantam obtineas virtutem, ut omnia, quae supra te scribentur, ad effectum salutis aeternae perducere valeas, ut omnis fallacia, et virtus Diaboli exeat de te, et intret in te omnis virtus praedicta sine mora. In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti Amen. *Aspergatur*, *etc.*

§ XCIX. *Benedictio Schedarum, quae vulgo Flagella Daemonis vocantur.*

Primo inscribe verba ordinaria sequentia in Charta.

JESUS ✠ MARIA.
JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM.

Benedictio S. Antonii de Padua.

Ecce Crucem ✠ Domini; fugite partes adversae, vicit leo de Tribu Juda, Radix David, Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Benedictio S. Francisci.

Benedicat tibi Dominus, et custodiat te, ostendat faciem suam tibi, et misereatur tui; convertat vultum suum ad te, et det tibi pacem. Te Dominus benedicat.

Benedictio S. Mariae ad Apostolos.

Benedicat vos, Filioli, et totum hunc Mundum Dominus Deus Pater, et Sponsus meus, JESUS Christus, Filius Unigenitus meus, Spiritus S. amor meus. Amen.

Ad alteram partem Chartae.

J. N. R. J.

Qui Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, nascens ex Maria Virgine, per ineffabilem pietatem, et misericordiam suam piissimam, et per intercessionem ejusdem B. Mariae Virginis, et Angelorum, Sanctorumque omnium, et maxime Apostolorum, et Evangelistarum suorum, Joannis, Matthaei, Marci, et Lucae; ipsum quaeso, ut dignetur liberare, et conservare me ab omni infestatione Sathanae, et ministrorum ejus. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super nos, et fructus terrae, et maneat semper. Amen.

Deinde fiat conjuratio Chartae, sicut in praecedenti §. Tandem apponatur particula Massae Marianae sigillatae.

§ C. *Benedictio pro Infirmis.*

Intrando domum dicat: Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

℣. Adjutorium nostrum, etc.

℣. Domine exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Introeat, quaesumus Domine Jesu Christe, domum hanc sub nostrae humilitatis ingressu aeterna felicitas, divina prosperitas, serena laetitia, Charitas fructuosa, sanitas sempiterna: effugiat ex hoc loco accessus daemonum, adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat effugata discordia; magnifica Domine super nos Nomen sanctum tuum. Bene✠dic conversationi nostrae, sancti✠fica humilitatis ingressum; qui sanctus, et pius es, et permanes cum Patre, et Spiritu Sancto in saecula saeculorum. Amen.

Postea dicitur Psalmus De profundis clamavi *etc. ut supra pag. 69. Deinde.*

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.*
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Surgens Jesus de Synagoga, introivit in domum Simonis; Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, et rogaverunt illum pro ea; et stans super illam imperavit febri, et dimisit illam, et continuo surgens ministrabat illis. Cum autem sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Jesum. At ille singulis manus imponens curabat eos.

℟. Laus tibi Christe.

Quo dicto subditur:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Miserere hujus, Domine, quoniam infirmus, *vel* infirma est.

℟. Sana eum, *vel* eam, Domine, quoniam conturbata sunt ossa ejus.

℣. Salvum fac servum tuum, *vel* Ancillam tuam, Domine.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Ego dixi Domine miserere ejus.

℟. Sana animam ejus, quia peccavit tibi.

℣. Dominé exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Respice, Domine, Famulum tuum, vel Famulam tuam, Fratrem, vel Sororem nostram, in infirmitate sui corporis laborantem, et animam refove quam creasti, ut castigationibus emandata, continuo se sentiat tua medicina salvatam. Per Christum etc. ℟. Amen.

Postea imponat manum super caput Infirmi dicens:

Super aegros manus imponent, et bene habebunt, ✠ Jesus Mariae Filius mundi Salus, et Dominus, meritis B. Mariae Virginis, B. Francisci Confessoris sui, et omnium Sanctorum sit tibi clemens, et propitius. Amen.

Dominus Jesus Christus apud te ✠ sit, ut te defendat, intra te ✠ sit, ut te conservet, ante te ✠ sit, ut te ducat, post te ✠ sit, ut te custodiat, super te ✠ sit, ut te benedicat, qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti descendat super te, et maneat semper. Amen.

Si autem plures infirmi essent, ponatur in plurali, et aspergantur aqua benedicta.

§ CI. *Benedictio Panis pro infirmis.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Dominus vobiscum etc.

OREMUS

Domine Deus omnipotens, descendat Benedictio Patris, et Filii, et Spiritus S. super hanc creaturam Panis, ut quicumque ex ea sumpserit, accipiat sanitatem mentis, protectionem corporis, tutelam salutis, integritatem charitatis, consolationem spei, roborationem fidei, virtutem constantiae, et visitationem Sancti Spiritus. Per eumdem Dominum nostrum etc. Amen. *Aspergatur etc.*

§ CII. *Benedictio aquae pro Infirmis.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui benedixisti quinque Panes, et duos Pisces in Deserto, unde satiata sunt quinque millia hominum, te supplices exoramus, ut benedicere digneris hanc Aquam, ut quicumque infirmus ex ea gustaverit, accipiat sanitatem mentis, et protectionem corporis, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem fidei, et charitatem Spiritus S. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre in unitate ejusdem etc.

§ CIII. *Alia benedictio Aquae ad sanandos Languores, Tumores, et Plagas Infirmi.*

Te, Adonia, Deus magne, Alpha, et Omega, qui Aquae Piscinae virtutem sanandi omnem Languorem, et Infirmitatem dare voluisti, ejus, qui post motionem Aquae ab Angelo factam, descendisset in eam, humiliter deprecor, ut huic Aquae, pro tua pietate virtutem sanandi omnem Languorem tribuere digneris in nomine Sanctissimae Trinitatis Patris † et Filii †, et Spiritus † Sancti, nec non Sacratissimae Virginis Mariae, omnium Angelorum, atque Sanctorum, atque Sanctarum tuarum. Amen.

O piissima Virgo Maria, humani generis Advocata; Ecce appono hanc Aquam in conspectu tuo, teque humiliter deprecor, ut intercedere digneris apud Unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, ut huic Aquae concedat virtutem sanandi omnes infirmitates,

et omne malum, quod potest miseris evenire Infirmis. Exaudi benignissima preces nostras. Suscipe clementissima vota nostra, et sicut es salus infirmorum, ita nunc impetrare dignare, ut haec unda sit remedium salutare quibuslibet aegrotantibus, ut sanitate recepta, perenniter deserviant Filio tuo Domino nostro, et ejus Patri, qui cum eo vivit, et regnat Deus etc.

Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, ut vestris deprecationibus bene†dictio, et gratia omnipotentis Dei descendat in hanc Aquam. Bene†dico te, Aqua, cum benedictione tibi data; quando Christus in Jordane fuit a Joanne baptizatus. Bene†dico te, Aqua, cum privilegio, quo decorata fuisti quando a Christo in Vinum conversa fuisti. Bene†dico te, Aqua, cum virtute; quae tibi data fuit in Natatoria Siloe. Bene†dico te, Aqua, per Sacra Mysteria in te repraesentata, quando cum Sacratissimo Sanguine de latere Christi in cruce fluxisti. Bene†dico te, Aqua, per pretium Passionis Christi, per puritatem ejus Virginis Matris, per humilitatem Patriarcharum, per devotionem Prophetarum, per tolerantiam Apostolorum, per constantiam Martyrum, per fiduciam Confessorum, per perseverantiam Virginum, per continentiam Viduarum, et per merita omnium Electorum Dei, et auctoritate Sacerdotali in te infundo omnem spiritualem virtutem, qua omni contagio resistere, et quemcumque ab eo oppressum sanare possis. In no-

mine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ Sanct Amen.

Aspergatur aqua benedicta. Deinde hac aqua aspergatur infirmus, et eadem detur ipsi bibenda; poterit etiam ipsum tangi membrum languidum, abstergi quoque plaga, vel tumor.

§ CIV. *Ordo benedicendi Infirmos cum Oleo Lampadis cujuscumque.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Adjuva nos Deus salutaris noster.
℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.
℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Esto illi turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Fiat misericordia tua Domine super eum, *vel* eam.
℟. Quemadmodum speravit in te.

His dictis ungit in fronte Infirmum dicens:

Per intercessionem Beatissimae Virginis Mariae, et B. Felicis, secundum suam piissimam misericordiam, liberet te Deus a praesenti infirmitate, et omnibus malis mentis, et corporis, in nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spi✝ritus ✝ Sancti.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℣. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Exaudi nos omnipotens aeterne Deus pro famulo (*vel*) Famula tua N. quem (*vel* quam) modo in nomine tuo unximus, et intercedente gloriosa Filii tui genitrice Virgine Maria, et B. Felice et omnibus Sanctis, praesta, ut hujus unctionis virtutem sentire valeat, atque ab omnibus malis animae, et corporis liberetur. Per eum qui tecum vivit, et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Sine stola prout decrevit Sacra Congregatio.

§ CV. *Benedictio Armorum, ac Exercituum ad conterendos Ecclesiae hostes.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum.*
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore; Accesserunt ad Jesum Discipuli secreto, dicentes: Dic nobis quando haec erunt, et quod signum adventus tui, et consummationis saeculi? Et respondens Jesus dixit eis: Videte, ne quis vos seducat; Multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus et multos seducent. Audituri enim estis praelia, et opiniones praeliorum. Videte ne turbe-

mini. Oportet enim haec fieri, sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiae, et fames, et terrae motus per loca. Haec autem omnia initia sunt dolorum.

℟. Laus tibi Christe.

℣. Domine, non secundum peccata nostra, quae fecimus nos.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.

℟. Cito anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis.

℣. Adjuva nos Deus salutaris noster.

℟. Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos: et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

℣. Tu es Deus qui facis mirabilia solus.

℟. Notam fecisti in gentibus virtutem tuam.

℣. Liberasti in brachio tuo populum tuum.

℟. Filios Israel, et Joseph.

℣. Sciant gentes, quoniam nomen tibi Deus.

℟. Tu solus altissimus super omnem terram.

℣. Deus meus pone illos ut rotam.

℟. Et sicut stipulam ante faciem venti.

℣. Domine exaudi etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Quaesumus clementiam tuam omnipotens Deus, ut haec arma, quibus ad expugnandos adversa-

rios Fidei, milites tui se eis accingere praesumunt; tua immensa bene✠dictione repleta, illis omnino non noceant, sed ad victoriam deserviant in terris, necnon ad praemia consequenda aeternaliter in Caelis. Per Christum Dominum etc.

OREMUS

Deus, qui credentes in te populos nullis sinis concuti terroribus, dignare preces, et hostias dicatas tibi suscipere, ut pax a tua pietate concessa, Christianorum fines ab omni hoste faciat esse securos.

Deus, qui conteris bella, et impugnatores in te sperantium potentia tuae defensionis expugnas, auxiliare Famulis tuis implorantibus misericordiam tuam, ut inimicorum suorum feritate depressa, incessabili te gratiarum actione laudemus. Per Christum Dominum nostrum etc.

Aspergatur etc. et benedicendo exercitum dicatur:

Bene✠dicat vos Deus, Deus noster: benedicat vos Deus, et metuant eum omnes fines terrae: Non turbetur cor vestrum, neque formidet: Roboramini, et estote viri fortes; accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, induite loricam justitiae, et calceate pedes in praeparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea ex-

tinguere, et galeam salutis accipite, et gladium Spiritus, quod est Verbum Dei. In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † Sancti. Amen.

§ CVI. *Benedictio Ensis.*

Minister coram Benedicturo Ensem, et Ensem accepturo, teneat Ensem; benedicens autem sedeat, et dicat:

℣. Adiutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Bene†dicere digneris, quaesumus Domine, Ensem istum, et hunc Famulum tuum N. N. qui eum, te inspirante, suscipere desiderat, pietatis tuae custodia munias, et illaesum conserves. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat Ensem aqua benedicta, et accipienti genuflexo tradat eum, sequentia dicendo:

Accipe N. N. Ensem istum in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † S. et utaris eo ad defensionem tuam, ac S. Dei Ecclesiae, et ad confusionem inimicorum Crucis Christi, ac fidei Christianae, et quantum humana fragilitas permiserit, cum eo neminem injuste laedas. Quod ipse tibi praestare dignetur, qui cum Patre, et Spiritu S. vivit, et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

§ CVII. *Benedictio Vexilli Bellici.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio, et trimphantium fortitudo, respice propitius ad preces humilitatis nostrae, et hoc Vexillum, quod bellico usui praeparatum est, caelesti bene✝dictione sanctifica, ut contra adversarias, et rebelles nationes sit validum, tuoque munimine circumseptum, sitque inimicis Christiani populi terribile, ac intercedentibus Sanctis tuis, solidamentum, victoriae certa fiducia. Tu enim es Deus, qui conteris bella, et caelestis praesidii sperantibus in te praestas auxilium. Per Christum etc.

Aspergatur aqua benedicta, et cui traditur dicatur:

Accipe Vexillum caelesti✝benedictione sancti✝ficatum, sitque inimicis populi Christiani terribile, et det tibi Dominus gratiam, ut ad ipsius nomen, et honorem, cum illo hostium cuneos potentes penetres incolumis, et securus. In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

§ CVIII. *Benedictio Peregrinorum ad loca Sancta abeuntium.*

Celebrata Missa, ipsis Sacra communione refectis, ac genuflectentibus dicat Sacerdos *Antip. In viam pacis.*

Canticum. Benedictus Dominus Deus Israel, etc. *totum. Quo finito repetitur Antiph.*

In viam pacis, et prosperitatis dirigat vos omnipotens, et misericors Dominus, et Angelus Raphael comitetur vobiscum in via, ut cum pace, salute, et gaudio revertamini ad propria.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

℣. Benedictus Dominus Deus quotidie.

℟. Prosperum iter faciat vobis Deus salutarium nostrorum.

℣. Vias tuas Domine demonstra eis.

℟. Et semitas tuas edoce eos.

℣. Utinam dirigantur viae eorum.

℟. Ad custodiendas justificationes tuas.

℣. Erunt prava in directa.

℟. Et aspera in vias planas.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, qui filios Israel per maris medium sicco

vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te, Stella duce, pandisti, tribue eis, quaesumus, iter prosperum, tempusque tranquillum; ut Angelo tuo sancto comite, ad eum quo pergunt locum, ac domum et ad aeternae salutis portum feliciter valeant pervenire.

Deus, qui Abraham puerum tuum de Urbe Chaldaeorum eductum per omnes suae peregrinationis vias illaesum custodisti, quaesumus, ut hos Famulos tuos custodire digneris. Esto eis Domine in procinctu suffragium, in via solatium, in aestu umbraculum, in pluvia, et frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate praesidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, ut te duce, quo tendunt prospere perveniant, et demum incolumes ad propria revertantur.

Adesto quaesumus, Domine supplicationibus nostris, et viam Famolorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone, ut inter omnes viae, et vitae hujus varietates, tuo semper protegantur auxilio.

Praesta, quaesumus omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat, et Beati Joannis Praecursoris hortamenta sectando, ad eum, quem praedixit, secura perveniat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc.

Exaudi Domine preces nostras, et iter famolorum tuorum propitius comitare, atque misericordiam tuam, sicut ubique es, ita ubique largire; quatenus a cunctis adversitatibus tua opitu-

latione defensi, gratiarum tibi referant actiones. Per Christum etc.

Pax, et benedictio ✠ Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus S. descendat super vos, et maneat semper. Amen. *Asperg. aqua benedicta.*

Si unus fuerit peregrinaturus, omnia dicantur in numero singulari; at si Sacerdos ipse, qui benedicit, fuerit socius peregrinationis, dicat in persona prima numeri pluralis, quatenus congrue videbitur.

§ CIX. *Benedictio alia super Peregrino, et ejus necessariis.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Domine exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

In nomine Domini nostri Jesu Christi accipe hanc Sportam, habitum peregrinationis tuae, ut bene castigatus et sanatus, atque emundatus pervenire merearis ad Sanctorum limina, quo pergere cupis, ut peracto itinere ad nos incolumis, et alacer reverti merearis. Per Dominum nostrum etc.

Benedictio Baculi.

Accipe hunc Baculum ad sustentationem itineris, viae, peregrinationis tuae, ut vincere valeas omnes inimicos et secure pervenire possis ad limina tuta, ut peracto obedientiae cursu ad nos revertaris cum gaudio. Per Dominum nostrum etc.

Benedictio Vestium.

Domine Deus, bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, te subnixius deprecamur, ut hanc Vestem bene✝dicere, et sancti✝ficare digneris, ut hac indutus Famulus tuus N. salutem animae, et corporis requiem acquirere possit. In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti. ℟. Amen.

Aspergatur ipse, et Paramenta ejus aqua benedicta.

§ CX. *Benedictio Peregrinorum post reditum.*

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

Antiph. Ecce sic benedicetur homo, etc.

Psalm. Beati omnes, qui timent Dominum, etc. *ut supra pag.* 182.

Finito Psalmo dicitur Antiphona.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Benedicti, qui veniunt in nomine Domini.

℟. Benedicti vos a Domino, qui fecit Caelum, et Terram.

℣. Respice Domine in servos tuos, et in opera tua.

℟. Et dirige eos in via mandatorum tuorum.

℣. Domine exaudi orationem meam, etc.

℟. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Largire, quaesumus Domine, Famulis tuis indulgentiam placatus, et pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offensis, et secura tibi mente deserviant.

Omnipotens sempiterne Deus, nostrorum temporum, vitaeque dispositor, famulis tuis continuae tranquillitatis largire subsidium, ut quos incolumes propriis laboribus reddidisti, tua facias protectione securos.

Deus humilium visitator, qui nos fraterna dilectione consolaris, praetende Societati nostrae gratiam tuam, ut per eos in quibus habitas, tuum nobis sentiamus adventum. Per Dominum nostrum etc.

Aspergatur aqua benedicta, et Sacerdos dicat:

Pax, et benedictio ✠ Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super vos, et maneat semper. Amen.

§. CXI. *Benedictio Panis S. Nicolai de Tolentino.*

Primo dicatur Hymnus.

Te canunt omnes Nicolāe gentes,
Te pii patres simul, atque Matres;
Voce te laudant pueri canora,
Votaque solvunt.
Efferunt caeci, resonantque muti,
Quos tua cunctos ope liberasti;
Mira decantant tua facta claudi,
Laude perenni.
Eruti per te maris e periclis,

Quosque tu morbis variis gravatos
Mille sanasti, tua dona cuncti.
Magna fatentur.
Quosque vexatos pius expiasti,
Daemonum dira feritate, quosque
Consequi rursum veteris dedisti
Lumina vitae.
Dive, caelestisque habitator aulae,
Dive, cui tantum tribuunt superni
Posse, quem totum dominator alti
Auxit Olympi.
Laus Patri summo, Genitoque semper,
Quique procedit Deus ex utroque.
Spiritus S., Deus unus idem,
Laus tibi semper. Amen.

Lectio libri Regum.

In diebis illis: Factus est sermo Domini ad Eliam Thesbitem, dicens: Surge, et vade in Sarephta Sidoniorum, et manebis ibi; Praecepi enim ibi mulieri viduae, ut pascat te. Surrexit et abiit in Sarephta. Cumque venisset ad portam Civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, et vocavit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquae in vase, ut bibam. Cumque illa pergeret, ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tua. Quae respondit; Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinae in hydria, et paululum olei in lecytho. En colligo duo ligna, ut ingrediar, et faciam illud mihi, et filio meo, ut comedamus, et non moriamur. Ad

quam Elias ait ; Noli timere ; sed vade , et fac sicut dixisti. Verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum , et affer ad me : tibi autem , et filio tuo facies postea : Haec autem dicit Dominus Deus Israel: Hydria Farinae non deficiet : nec lecythus olei minuetur usque in diem, in qua daturus est Dominus pluviam super faciem terrae. Quae abiit, et fecit juxta verbum Eliae. Et comedit ipse , et illa, et domus ejus. Et ex illa die hydria Farinae non defecit , et lecythus olei non est imminutus , juxta verbum Domini , quod locutus fuerat in manu Eliae. ℟. Deo gratias.

℣. Respexit Elias ad caput suum subcinericium Panem ; qui surgens comedit , et bibit , et ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei.

✠ *Sequentia sancti Evangeli secundum Joannem.*
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore : Abiit Jesus trans mare Galilaeae , quod est Tiberiadis , et sequebatur eum multitudo magna , quia videbant signa , quae faciebat super his qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha dies festus Judaeorum. Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum ; Unde ememus panes , ut manducent hi ? Hoc autem dicebat tentans

eum; Ipse enim sciebat, quid esset facturus. Respondit ei Philippus : Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex Discipulis ejus, Andreas, frater Simonis Petri : est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces, sed haec quid sunt inter tantos? Dicit ergo Jesus : Facite homines discumbere. Erat autem foenum multum in loco. Discubuerunt ergo viri numero, quasi quinque millia : Accepit ergo Jesus panes, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. Similiter et ex piscibus quantum volebant. Ut autem impleti sunt, dixit Discipulis suis: Colligite, quae superaverunt fragmenta, ne pereant : Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim Cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quae superfuerunt his qui manducaverant. Illi ergo homines, cum vidissent quod fecerat Jesus signum, dicebant : Quia hic est vere Propheta qui venturus est in Mundum.

℟. Laus tibi Christe.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Chiste, qui benedixisti quinque panes in Deserto, multiplica super fideles tuos misericordiam tuae pietatis, quemadmodum fecisti cum Patribus nostris in tua misericordia sperantibus, et bene✠dicere, et sanctificare digneris hanc creaturam Panis, quem ad subsidium tuorum fidelium tribuisti : quatenus a

quocumque sumptus fuerit, bene✝dictionis tuae opulentia repleatur, et gratiarum actione per te in visceribus ipsorum sanctificetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS

Domine, Sancte Pater omnipotens, sempiterne Deus, qui per potentiam tuam Panem istum in forma visibili distribuisti, et magnitudine largitatis tuae humanis usibus emanare de segete jussisti, te suppliciter exoramus, ut hunc Panem, quem negligentia nostra polluit, Sancti Spiritus gratia ad munditiem revocet, et sanctificet, mundet, ac purificet, et turpitudo callidi hostis abscedat, ac familiae tuae deinceps cum bene✝dictione comestibili tribuatur, et comedentium mundentur corda, et corpora ipsorum per tuam gratiam sanctificentur. Per Christum Dominum etc. Amen.

OREMUS

Precamur, Domine Deus, tuae pietatis clementiam, ut Panem istum caelesti bene✝dictione sanctifices, et ita ex hoc fugare digneris omnem Diabolicae tentationis incursum, ut quicumque ex eo comederit, totius virtutis, et sanitatis dulcedine perfruatur, et tibi Sanctificatori, ac Salvatori omnium, gratias cum gaudio, et laetitia agere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMUS

Te igitur suppliciter deprecamur, ut bene✝dicere, et sanctificare digneris hanc creaturam

Panis, ut quicumque ex eo gustaverit, per intercessionem dilecti Famuli tui Nicolai de Tolentino consequatur vitam aeternam: et extingui ab omnibus digne sumentibus, si quid veneni, si quid mortiferae operationis fuerit, et clementer eos defende. Per Christum etc.

OREMUS

Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, cujus verbo Caeli firmati sunt, cui omnia subdita sunt, cui omnis creatura deservit, et potestas subjecta est, et metuit, et expavescit; nos te ad auxilium provocamus, cujus audito nomine, Serpens conquiescit, Draco fugit, silet Vipera, et omnia venenata, etiam adhuc fortia animalia reptantia noxia terrentur, et omnes adversae saluti humanae radices arescunt. Te ergo, Domine, suppliciter deprecamur, ut bene✝dicere, et sancti✝ficare digneris hanc creaturam Panis, ut quisque ex eo comederit, per intercessionem sancti tui Nicolai de Tolentino, vitam aeternam consequatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur aqua benedicta, et incensetur. Post ea fiat distributio, et dicatur sequens: Hymnus

Laudibus summis celebremus omnes
Regis aeterni memoranda dona,
Mentibus laetis modulemur ejus
Grandia facta.

Qui dedit quondam fidei coruscans
Sydus ex altis, oriensque Caelis,
Sancta quem Mundo peperit beatum
Monica Patrem.

Ex suo te nunc grege procreatum ,
Multa post tandem revoluta saecla ,
Contulit dignum Nicoläe nobis
Ejus alumnum.
Cujus ingentes , memoresque gestas
Res queat nemo satis explicare ,
Cujus excelsas , celebresque laudes
Nemo referre.
Dive , Caelestisque habitator aulae ,
Dive , qui tantis meritis opimis
Vivis , et gaudens super alta Caeli
Astra triumphas.
Laus Patri Summo , genitoque semper ,
Quique procedit Deus ex utroque ,
Spiritus Sanctus , Deus unus idem ,
Laus tibi semper. Amen.

ANTIPHONA

Nicolaus vero Christi pauper , virgo a Deo electus , obedientiam jugiter servans , Eremitarum Ordinem signis , et virtutibus decoravit.

℣. Ora pro nobis Beate Nicoläe.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Si talis benedictio fiat ante Missam , vel in Quadragesima , dicatur sequens Oratio :

Concede , quaesumus, omnipotens Deus , ut Ecclesia tua quae B. Nicolai Confessoris tui virtutum , et miraculorum gloria coruscat , ejus intercessione , et meritis perpetua pace , atque unitate laetetur. Per Christum Dominum nostrum.

Si autem post Missam, dicatur Oratio

Populum tuum, Domine, quae sumpsimus Sacramenta, custodiant ut qui B. Nicolai de Tolentino Confessoris jugiter implorant auxilium, petitionum suarum salutarem consequantur effectum. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *Aspergatur etc.*

Cum maxima reverentia tenebitur hic Panis in domo, pro occurrentibus necessitatibus, quia ab Eugenio Papa laudata fuit hujusmodi benedictio, et approbata.

§ CXII. *Benedictio Medicinae cujuscumque.*

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, qui mirabiliter hominem creasti, et mirabiliter reformasti, qui dedisti Medicinam ad tuendam hominum sanitatem, sanctam tuam de Caelis benedictionem super hanc Medicinam infunde, ut hic, in cujus corpus introierit, sanitatem mentis, et corporis percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *aspergatur etc.*

§ CXIII. *Benedictio Capsarum pro Reliquiis, et aliis Sanctuariis includendis.*

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Domine exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem, ut qui omnia per Unigenitum Filium su-

um in virtute Spiritus Sancti valde bona creavit, ipse nobis indignis ad conservationem, et benedictionem harum Capsarum Reliquiis Sanctorum suorum recondendis paratarum, rorem gratiae suae clementer infundere dignetur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum, qui cum eo vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus etc.

Deinde manibus junctis ante pectus dicitur Praefatio.

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

℣. Sursum corda.

℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum et justum est.

Vere dignum, et justum est, aequum, et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere, Domine Sancte Pater omnipotens, aeterne Deus ineffabilis, Deus misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui Moysi famulo tuo praecepisti, ut juxta exemplar, quod ei in Monte demonstrasti, Arcam de lignis imputribilibus construeret, et eam auro mundissimo circumdaret, in qua vasa aurea Manna caelesti plena, cum tabulis Testamenti, digito Majestatis tuae conscriptis in testimonium futuris generationibus servari deberent; quique nostris saeculis eadem sacratiis intelligenda manifestasti, dum corpus unici Filii tui, ope Spiritus S. de incorrupta Virgine conceptum, et

Anima rationali vivificatum omni plenitudine perfudisti; Te suppliciter imploramus omnipotens Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis Paternitas in Caelo, et in terra nominatur, ut haec Vascula Sanctorum tuorum honoribus praeparata, eisdem Sanctis tuis intercedentibus, Caelesti bene✝dictione perfundere digneris, quatenus, qui harum patrocinia requirunt, ipsis intercedentibus, cuncta sibi adversantia, te adjuvante superare, et omnia commoda profutura, abundantia largitatis tuae mereantur invenire, et sicut illi, te inspirante, spiritualium nequitiarum versutias cavere, et humanitus exquisita tormenta, non solum contemnere, sed etiam penitus evincere, Christo Domino confortante, potuerunt; ita ipsorum merita venerantibus, et Reliquias humiliter amplectentibus, contra Diabolum, et Angelos ejus, contra fulmina, fulgura, et tempestates, contra corruptum aerem, et mores hominum, et animalium, contra malarum bestiarum, et serpentium diversissmas formas, contra malorum hominum adinventiones pessimas, eorumdem Sanctorum tuorum precibus complacatus, dexteram invictae potentiae tuae, ad depulsionem nocivorum, et defensionem proficuorum, semper et ubique propitius ostende. Per eumdem Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS

Domine Deus omnipotens, qui ut murmur insani Populi compesceres, et Sacerdotium Aaron tibi placitum comprobares, Virgam ejus aridam

germinare, et flores fructiferos producere fecisti, eamdemque in Arca Testamenti pro Signo virtutis tuae poni jussisti; sed, et nobis eodem praesagio Christum in Ara Crucis arefactum citissima resurrectione reflorescere, et in Ecclesia novissimo tempore resuscitanda, per mortem suam, die ac nocte fructificare demonstrasti; te quaesumus indulgentissime generis humani provisor, ut haec Vascula Sanctorum tuorum receptaculo praeparata, tua gratia sancti✝fices, ut ubicumque in tuo nomine prolata fuerint, intercedentibus Sanctorum tuorum meritis cuncta adversa depellas, et nullifices, et omnia utilia multiplices, atque custodias; quatenus fideles tui, magnitudine, sive universitate beneficiorum tuorum, in parte modica Reliquiarum, integra Sanctorum corpora se percepisse gratulentur, et per temporalia loca, ipsorum precibus impensa, ad aeterna cum eis gaudia possidenda fiducialius animentur. Per eumdem Dominum nostrum etc. *Aspergatur etc.*

§ CXIV. *Benedictio novi Monasterii.*

Superior, vel alius ejus loco Superpelliceo et Stola indutus, incipiat sequentes Psalmos recitare alternatim cum assistentibus Religiosis illius Monasterii, etc. Primo incipiat in Sacristia.

Psal. Memento Domine David, *ut supra pag.* 70.

Finito Psalmo dicatur Antiph. Domum istam protege Domine, et Angeli tui Sancti custodiant muros ejus.

℣. Domine dilexi decorem domus tuae.

℟. Et locum habitationis gloriae tuae.

OREMUS

Omnipotens, et misericors Deus, qui Sacerdotum Ministerio, ad tibi serviendum, et supplicandum uti dignaris, quaesumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modo visitamus, visites, quidquid bene✝dicimus, benedicas, sitque ad nostrae humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga Daemonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Postea procedatur ad dormitorium, ibique dicatur Ps. Cum invocarem etc. *ut supra pag, 120.*

Finito Psalmo dicatur Antiphona.

Salva nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

℣. In pace in idipsum.

℟. Dormiam, et requiescam.

OREMUS

Benedic, Domine, hoc dormitorium Famulorum tuorum; qui non dormis, neque dormitas custodiens Israel: et Famulos tuos in hac domo quiescentes post laborem custodi ab illusionibus phantasmaticis Sathanae, ut vigilantes in praeceptis tuis meditentur, et dormientes, te per soporem sentiant, et hic, et ubique defensionis tuae muniantur auxilio. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *Aspergatur etc.*

In Infirmaria dicatur Psalmus 6.

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine usquequo?

Convertere Domine, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus; inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur, et erubescant valde velociter. Gloria Patri, etc.

Antiph. Aspice Domine de sede sancta tua, et cogita de nobis: inclina, Deus meus, aurem tuam, et exaudi: aperi oculos tuos, et vide tribulationem nostram.

℣. Miserere mei Domine, quoniam infirmata sunt ossa mea.

℟. Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

OREMUS

Omnipotens, et misericors Deus, quaesumus immensam pietatem tuam, ut, ad intuitum humilitatis nostrae, hunc locum Infirmitorii, et hos Famulos tuos, (*si solus fuerit infirmus, oratio dicatur in singulari*) in eo fessos jacentes, salutifere visitare digneris, et sicut visitasti, Domine, Tobiam, Socrum Petri, et Puerum Centurionis, ita et isti, pristina sanitate animae, et corporis recepta; gratiarum tibi in Ecclesia tua, referant actiones. Per Christum etc. Amen. *Asperg.*

In refectorio dicatur Psalm. Beati omnes, qui timent Dominum, etc. *ut supra pag. 121.*

Quo finito dicatur Ant. Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.

℣. Edent pauperes, et saturabuntur.

℟. Et laudabunt Dominum, qui requirunt eum.

OREMUS

Omnipotens, et misericors Deus, qui Famulos tuos in hac Domo alis refectione carnali, ut Cibum, vel Potum, te bene✝dicente, cum gratiarum actione percipiant, praesta quaesumus, ut hic, et in aeternum per te salvi esse mereantur. Per Christum etc. Amen. *Aspergatur etc.*

In Coquina dicatur Psalm. Dominus regit me, et nihil mihi deerit, etc. *ut supra pag. 116.*

Finito Psalm. dicatur Antiph. In loco Pascuae ibi me colllocavit.

℣. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.

℟. Qui habitare facis unanimes in Domo.

OREMUS

Deus aeterne, ante cujus conspectum assistunt Angeli, ad cujus nutum reguntur universa, qui etiam, necessariis humanae fragilitati, tua pietate consulere non desinis, te humiliter imploramus, ut habitaculum istius Officinae illa bene✝dictione perfundas, qua per manus Elisaei Prophetae, in olla Eremitica gustus amarissimos dulcorasti, et semper hic tuae benedictionis copia redundante, laudes tibi referant servi tui, qui das escam omni carni, et imples omne animal benedictione ✠ Salvator noster. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. Amen. *Aspergatur aqua benedicta.*

In Cellario dicatur Psal. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium, etc. *ut supra pag.* 129.

Quo finito dicatur Antiph. Ecce ego mitto vobis Frumentum, et Vinum, et Oleum, et replebimini in eis, dicit Dominus: ideoque exultate, et laetamini in Domino Deo vestro.

℣. Emitte Domine benedictionem super Cellaria.

℟. Et super opera manuum tuarum.

OREMUS

Omnipotens, et misericors Deus, qui ubique praesens es, majestatem tuam suppliciter exoramus, ut huic Promptuario gratia tua adesse dignetur, quae cuncta adversa ab eo repellat, et abundantiam bene✝dictionis tuae largiter infundat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur etc.

In Claustro dicatur Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum, concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum, Rex meus, et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrimarum in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.

Domine, Deus virtutum, exaudi orationem meam, auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis, super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus, gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te. Gloria Patri, etc.

Antiphona. Congregavit nos in unum Christi amor, timeamus, et amemus Christum Deum: ubi charitas, et amor, ibi Deus est.

℣. Ecce quam bonum, et quam jucundum.

℟. Habitare fratres in unum.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos singulari praerogativa gratiae in hoc Religionis claustro misericorditer congregasti: da nobis Famulis tuis, ita in eodem laudabiliter tibi servire, et in Fraternitatis amore, et sincera dilectione, ac mutua pace convivere, ut tandem ad illam Patriam, in qua omnia secura, firma, tranquilla, et stabilia sunt, te largiente, pervenire valeamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur etc. Ad portam principalem dicatur:

Psalmus 147.

Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum, Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terrae, velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: flabit Spiritus ejus, et fluent aquae.

Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias, et judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi; et judicia sua non manifestavit eis. Gloria Patri, etc.

Antiphona. Conservavit Dominus seras portarum nostrarum, et benedixit nobis.

℣. Haec est porta Domini.

℟. Et justi intrabunt in eam.

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui in introitu portarum Jerusalem, valvas sanctificasti, dum splendore gemmarum duo decim, totidem Apostolorum nomina praesignasti, et qui per organum propheticum praedixisti, lauda Jerusalem Dominum, qui confortavit seras Portarum tuarum, et benedixit filiis tuis in te: quaesumus, ut ponas in omnes fines Domus istius pacem, et velocius currens interius sermo tuus adipe frumenti satiet eos: Spiritus Sanctus defendat illos, ut nunquam nocere eis praevaleat inimicus, sed omnes habitantes in ea interius voce, corde, et opere decantent dicentes: Magnus Dominus Deus noster Jesus Christus, et magna virtus ejus, et sapientiae ejus non est numerus. Qui cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, in Trinitate perfecta vivis, et regnas in saecula saeculorum. Amen.

✠ *Sequentia Sancti Evang. secundum Lucam.*

In illo tempore; Ingressus Jesus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachaeus, et hic

Printeps erat Publicanorum, et ipse dives, et quaerebat videre Jesum, quis esset, et non poterat prae turba, quia statura pusillus erat. Et praecurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, et dixit ad eum: Zachaee festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset. Stans autem Zachaeus, dixit ad Dominum: ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est: eo quod et ipse filius sit Abrahae. Venit enim Filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat.

Antiph. Beata gens, cujus est Dominus eorum; populus electus in haereditatem.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi.

℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, qui in omni loco dominationis tuae dedicator semper assistis, exaudi nos quaesumus, ut inviolabilis hujus domus permaneat benedictio, et beneficia tui muneris universa, quae suppli-

cat, mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMUS

Visita, quaesumus Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle; Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et bene†dictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Postea addantur Orationes de S. Maria, et de aliis Sanctis ad libitum.

In reditu ad Ecclesiam Psalm. Qui habitat in adjutorio Altissimi, etc.

Quo finitò dicatur: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℟. Et ne nos inducas etc.

℟. Sed libera nos etc.

℣. Memento congregationis tuae.

℟. Quam possedisti ab initio.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo: ut in nomine Dei, et Domini nostri Jesu Christi Filii tui dilectisssimi mereamur semper bonis operibus abundare. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedictio Pulveris-Tormentarii, seu Jaculatorii. Item Globorum plumbeorum, vel ferreorum cum Exorcismo.

℣. Adjutorium nostrum etc.

℟. Qui fecit caelum etc.

℣. Domine exaudi etc.
℟. Et clamor etc.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Exorcismus.

Exorcizo vos creatura Pulveris Tormentarii (*globorum plumbeorum, et ferreorum*) per Deum ✝ Vivum, per Deum ✝ Verum, per Deum ✝ Sanctum, et per Sanctissimam Trinitatem, Pa✝trem, et Fi✝lium, et Spiritum ✝ Sanctum, et per Deum qui omnia creavit ex nihilo, qui rebelles Angelos de Caelo ad inferos praecipitavit; Et per Jesum Christum Filium ejus, Dominum nostrum, qui daturus est praedestinatis feliciter Regnum Æternum, et reprobis damnationem, et per omnia nomina sancta Dei, vos conjuro, et exorcizo, et per omnia modo dicta, ut sint in defensionem nostram, et Ecclesiae Christi; ac dissolutionem omnium Praestigiorum, Maleficiorum, et superstitiosarum illusionum corporis humani, ita ut nihil impedire valeant, quo minus per has creaturas Dei, inimici nostri, et Catholicae Fidei hostes offendi, penetrari, et superari valeant. Per eum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. Amen.

OREMUS

Ineffabilem Clementiam tuam, omnipotens aeterne Deus, humiliter imploramus, ut sicut tu es Unus in essentia, et Trinus in personis, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: ita per eamdem immensam clementiam, et pietatem tuam, be-

ne✝dicere digneris has tuas creaturas Pulveris Tormentarii (*globorum plumbeorum, et ferreorum, etc.*) ut sint omnibus Christianis fidelibus ad defensionem, juste eas usurpantibus protectio, et defensio perpetua contra omnes spiritus malignos, incantationes, praestigia, et maleficia: sintque perpetua malignorum spirituum, et maleficiorum expulsio, annihilatio, eorumque ac omnium praestigiorum, ac superstitiosarum illusionum dissolutio, et dissipatio; ut quemcumque locum humani corporis ac hostilis tetigerint, nulla spirituum malignorum potestas eorum vim retundere, vel debilitare possit, ut pro Fidei Catholicae, ac fidelium servorum tuorum defensione, vel propugnatione, iniquorum hostium fines penetrare, in fugam propellere, et superare possint: idque, benignissime Deus, pro tua misericordia praestare digneris, per virtutem Sanctissimae Cru✝cis Domini ac Salvatoris Jesu Christi, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen. *Aspergantur aqua benedicta, dicendo:*

In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus✝Sancti. Amen.

Benedictio Aeris ad petendam Pluviam.

Potest fieri cum processione publica, ex Parochia, vel privatim, ante valvas Ecclesiae, vel domi. Primo dicuntur Litaniae omnium Sanctorum: in fine.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Riga, Deus, montes de superioribus tuis.
℟. Et de fructu operum tuorum satiabitur Terra.
℣. Operi, Domine, Caelum nubibus.
℟. Et para Terrae pluviam.
℣. Ut producat in montibus foenum.
℟. Et herbam servituti hominum.
℣. Domine exaudi etc.
℟. Et clamor etc.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus, in quo vivimus, movemur, et sumus, te supplices deprecamur, ut Terrae congruentem pluviam tribuere digneris, ut, praesentibus misericordiae tuae auxiliis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus.

OREMUS

Deus, qui conspicis, quia nos undique mala nostra perturbant, concede, quaesumus, ut Beatissimae Virginis genitricis Filii tui Mariae, et Beatorum Martyrum tuorum Joannis, et Pauli, atque Beati N. aliorumque Sanctorum Patronorum nostrorum intercessio gloriosa nobis succurrat.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra omnia adversa tua semper protectione muniamur. Per Dominum nostrum Jesum etc.

℣. Dominus vobiscum. 15

℟. Et cum spiritu tuo.

Exaudiat nos omnipotens, et misericors Dominus, Pa✠ter, et Fi✠lius, et Spi✠ritus Sanctus.

Interim versus Aerem spargitur aqua benedicta, et additur.

℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Benedictio pro Aeris serenitate.

Haec benedictio potest etiam fieri post publicam cum populo supplicationem: vel privatim ante Ecclesiam, aut domi a Sacerdote, recitatis Litaniis omnium Sanctorum; in fine:

Pater noster *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Exaudisti Domine Spiritum tuum.

℟. Et prohibitae sunt pluviae de Caelo.

℣. Cum obduxero nubibus Caelum.

℟. Apparebit arcus meus, et recordabor foederis mei.

℣. Illustra faciem super servos tuos.

℟. Et benedic sperantes in misericordia tua.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus etc.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

A domo tua, quaesumus Domine, Spiritales nequitiae repellantur, et Aerearum discedat malignitas tempestatum.

Ad te nos, Domine, clamantes exaudi, et Aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus, ut, qui juste pro peccatis nostris affligimur, Misericordia tua praeveniente, clementiam sentiamus.

Quaesumus, omnipotens Deus, ut qui omnium rerum tibi servientium naturam, per ipsos motus Aeris ad cultum tuae Majestatis instituisti; per intercessionem Sanctissimae Virginis, et Genitricis Dei Mariae, Sanctorum Angelorum, Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Viduarum, omniumque Sanctorum, tranquillam Auram nobis concedere, et nocentium Imbrium coercere abundantiam, misericorditer digneris. Per Dominum nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo Gratias.

Exaudiat nos omnipotens, et misericors Dominus Pa✝ter, et Fi✝lius, et Spiritus ✝ Sanctus Amen.

Interim in Aerem aspergatur aqua benedicta, et addatur. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

TITULUS IV

De Conjurationibus, et aliis remediis ecclesiasticis.

§ I. *Conjuratio Schedarum pro Febricitantibus* *Vide supra Tit. 3. § 98. pag. 213.*

§ II. *Conjuratio, et Remedium liberativum, ac praeservativum ab infestationibus Daemonum vexantium homines, jumenta, et habitacula eorum, et ab insultis maleficorum.*

Accipe Chartam, illamque benedic modo sequenti: Conjuro†te ; Charta , per verba illa Tituli Triumphatis Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, et per omnia alia verba , quae dicuntur de Creatore omnium creaturarum , et per illum , qui potest tribuere , et facere , quod tantam obtineas virtutem , ut omnia , quae supra te scribentur , ad effectum salutis aeternae perducere valeas , et ut omnis fallacia , et virtus Diaboli exeat de te, et intret in te omnis virtus praedicta sine mora. In nomine Pa†tris , et Fi†lii , et Spiritus † Sancti. Amen. *Et aspergatur aqua benedicta, scribatque sequentia verba in modum Crucis.*

J.
N. ✠ R.
J.

Qui Verbum caro factum est , et habitavit in nobis , nascens ex Maria Virgine , et per inef-

fabilem pietatem, et misericordiam suam piissimam, et per intercessionem ejusdem B. Mariae Virginis et Angelorum, Sanctorumque omnium, et maxime Apostolorum, et Evangelistarum suorum, Joannis, Matthaei, Marci, et Lucae; ipsum quaeso, ut dignetur me liberare, et conservare ab omni infestatione Sathanae, et ministrorum ejus. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, etc.

Deinde accipe Sal exorcizatum, et benedictam ceram Cerei Paschalis, vel aliam benedictam, aliaque quae poteris habere benedicta, et confice massam ex Cera et aliis rebus benedictis, ex eaque sumes, et applicabis Chartae praedictae benedictae, et in modum Brevis suspendes omnia ad collum patientis, vel in loco vexato, et liberabitur, seu conservabitur gratia Dei.

§ III. *Remedium si quis infestetur a Daemone.*

Scribe haec nomina S. Dei in Charta benedicta, adjunge particulam Massae Marianae, et pone illam super patientem ipso nesciente.

In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spritus†Sancti. Amen. † Hel † Heloym † Sother †Emmanuel† Sabaoth † Agia† Tetragrammaton†Agyos † Otheos † Ischyros † Athanatos † Jehova † Ya † Adonay † Saday † Homousion † Messyas † Esereheye † Increatus Pater ✠, Increatus Filius ✠ Increatus Spiritus Sanctus ✠ Jesus ✠ Christus vincit ✠, Christus regnat ✠, Christus imperat †. Si Diabolus

ligavit, vel tentavit te N. sub effectu per sua opera, Christus, Filius Dei vivi, per suam misericordiam liberet te ab omnibus Spiritibus immundis, qui venit de Caelo, et incarnatus est in utero Beatissimae Virginis Mariae causa humanae salutis, et ejicienti Diabolum, et omnem indignum Spiritum a te in profundum inferni, et abyssi. Ecce Crucem ✠ Domini, fugite partes adversae, vicit Leo de tribu Juda, Radix David.

Exorcismus alius.

Adjuro vos ✠ interim, Daemones, per Deum omnipotentem, qui divisit lucem a tenebris, stabiliens caelos, et eis mensuram ponens, ut sine mora amoveatis ab hac Creatura Dei omnia nocumenta vestra, et ipsam sine laesione relinquatis. Adjuro vos ✠ per magnum nomen Domini nostri Jesu Christi Filii ejus, ne amplius appropinquetis huic Creaturae, ad ei inserenda, vel in ea conservanda aliqua maleficia; et a vexatione vestra libera relinquatis omnia, quae ad illam pertinent. Adjuro vos ✠ in virtute Spiritus Sancti Paraclyti, ut, si quid in signum positum est ad hujus Creaturae afflictionem, illud statim amoveatis, et nullam usurpetis audaciam obsequendi maleficiis hominum ad nocendum huic Creaturae, et omnia, quae posuistis ad laedendum valetudini ejus, statim tollatis, et removeatis sine aliqua laesionae Animae, et Corporis ejus, et illa portetis ad loca arida, et sterilia, et inhabitabilia. Et sicut per beatos Apostolos Dei Petrum, et Paulum dissolutae sunt, et ad nihilum redactae fuerunt, incantationes fa-

ctae per Simonem magum, ita auctoritate Dei omnipotentis dissolvantur omnes Sortilegae Artes, praestigia, et incantationes inventae, et fabricatae ad laedendum, et nocendum huic Creaturae. Similiter, adjuro vos ✝ per nomen Domini nostri Jesu Christi, qui descendentes ad inferos, devicta potentia Inferni, Animas Sanctorum Patrum inde extractas, secum ad Caelos triumphantes invexit, ut remoto omni dolo, et obstinatione destruatis, et tollatis omnem malignam fascinationem ab hac Creatura Dei; omniaque nociva ejus corpori ingesta educatis per illam viam, quae sit magis libera, et expedita, absque laesione corporis, et sanitatis ejus. In virtute ejusdem D. N. J. C. qui venturus est, etc.

Idem poteris explorare, si particulam Massae Marianae igni resolvas in sublimem liquorem, et eumdem permisceas jusculo, vel alio cibo, et des comedendum patienti, subito infremat, vel alia signa convulsionum, clamorum, vel agitationum edat, certum est, ipsum esse possessum.

§ IV. *Conjuratio contra Tonitrua, Fulmina, et tempestates.*

Primo dicatur. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ Sancti.

Cum aspersione aquae benedictae.

Domine Jesu Christe, qui Caelum, et Terram fecisti, mare, et omnia construxisti et flumen Jordanis benedixisti; dignare Domine bene✠dice-

re, et sancti✠ficare nubes istas, quas contra me video, ut deficiant, et effundant aquam benedictam. Domine Jesu Christe, qui es defensor, et protector omnium Christianorum, qui salvos facis omnes sperantes in te, et non derelinquis quaerentes nomen tuum, qui ovem perditam in humeris tuis positam ad Caelos reduxisti, te invocamus, Christe defensor noster, et pietatem tuam deprecamur pro salvatione Frugum terrae nostrae, et laboribus nostris, quos pro tua pietate nobis donare dignatus es, pariterque nos omnes defendere digneris ab omni malitia tempestatum, et ab omnibus contrariis virtutibus: Deus invisibilis, et immortalis, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Virginum, Deus omnium Creator, et Salvator, te invocamus, quia pius es, et clemens, veni in auxilium nostrum: et miserere nostri, Deus noster, qui fecisti Caelum, et Terram, Mare et omnia, quae in eis sunt, cujus potestas est in omnibus, et oculi tui omnia vident. Alliga quaesumus, Domine, omnem potestatem adversariorum nostrorum, omnes malitias incantatorum, atque omnes incursiones tenebrarum, per virtutem tuam magnam, et sanctam, ut non praevaleant, neque nocere possint in laboribus Servorum tuorum, qui in te confidunt, qui in magna misericordia tua speramus, neque ingrediantur in finibus istis, neque in Vineis istis, neque in Arboribus. Rogo vos sancti Angeli

Dei, Michael, Gabriel, Raphael, et omnes sancti Angeli, et Arcangeli Dei et Domini nostri Jesu Christi: vos invocamus, exite in adjutorium nostrum. Et iterum adjuramus vos Angelos tenebrarum, et omnes incantatores, et incantationes malorum, et omnes Sathanae ministros, qui coagulatis ventos, et imperatis, tempestates emittitis, et laborem hominibus tollitis. Adjuramus vos per Pa✠trem, et Fi✠lium, et Spiritum ✠ Santum, ut non noceatis in finibus nostris, sed revertamini retrorsum, et ite in diversis locis secretis, ubi non aratur, nec seminatur, nec habitatio hominis est, nec esse potest, ibi discurratis. Adjuramus vos per Beatissimam Virginem Mariam Dei Genitricem, et per Beatissimum Praecursorem, et Martyrem Christi Joannem Baptistam, et per S. Michaelem Archangelum, qui principem vestrum Diabolum Sathanam expugnavit. Adjuramus vos per tres Patriarchas, et viginti quatuorSeniores, et per duodecim Apostolos, et per quatuor Evangelistas, et per omnes Martyres, et omnes illos, qui Deo placuerunt ab initio Mundi, et coronati sunt ante eum, ut non mittatis lapides, et tempestates, nec fulgura, nec ullam coruscationem in finibus nostris, sed veniat Aqua sine aliqua malitia, quam Dominus benedixit in flumine Jordanis, ubi ipse baptizatus fuit, et inebriet Terram, et eam faciat germinare. Item vos conjuramus in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus †Sancti. Amen. Et per omnes virtutes Caelorum, ut nullam dominationem habeatis in finibus no-

stris, ne cum veneritis ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, dicatis mentientes, nos fuimus in tali patria, et nemo nobis contradixit. Sic vobis contradicimus, et conjuramus omnes contrarietates vestras per Dominum nostrum Jesum Christum, Creatorem omnium visibilium, et invisibilium, qui fecit Caelum, et Terram, Mare, et omnia quae in eis sunt, qui ambulat super aspidem, et basiliscum, et conculcat Leonem, et Draconem, cui nomen Sanctum, terribile, et immortale Adonay est, cui omne genuflectitur, Caelestium, Terrestrium, et infernorum; omnes ei proclamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Jesus Sabaoth, pleni sunt Caeli, et terra gloria tua :. Vos autem Ministri Sathanae, et tenebrarum, et omnes Spiritus maleficiorum convertimini retrorsum, et discurrite in diversis Montibus, et locis desertis, ubi nullus habitat, nec labor Christianorum est, recedite, et convertimini retrorsum, et erubescite, et confundemini omnes vos Spiritus nequitiae, quia Deus adjutor noster est in aeternum. Nos vero laetabimur in Domino Deo nostro, et ei laudes dicemus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui est, et erat, et qui venturus est, Hosanna in excelsis.

Psalmus 148.

Laudate Dominum de Caelis, laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum Sol, et Luna: laudate eum omnes stellae, et lumen.

Laudate eum Caeli Caelorum, et aquae omnes, quae super Caelos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit ea in aeternum, et in saeculum saeculi: praeceptum posuit, et non praeteribit.

Laudate Dominum de terra, dracones et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum ejus.

Montes, et omnes colles, ligna fructifera, et omnes cedri.

Bestiae et universa pecora, serpentes, et volucres pennatae:

Reges terrae, et omnes Populi, principes, et omnes judices terrae:

Juvenes, et Virgines, senes cum junióribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super Caelum, et terram, et exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus Sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi. Gloria Patri, etc.

Psalmus 28.

Afferte Domino, Filii Dei: afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam, et honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Vox Domini super aquas, Deus Majestatis intonuit, Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute : vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani.

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani : et dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis : vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades.

Vox Domini praeparantis cervos, et revelabit condensa : et in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit, et sedebit Dominus Rex in aeternum.

Dominus virtutem populo suo dabit : Dominus benedicet populo suo in pace.

Gloria Patri, etc.

℣. Domiuus vobiscum :

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus, qui es omnium tibi servientium refugium, et virtus, qui ipsos motus Aeris ad cultum tuae Majestatis instituis, tranquillitatem nobis misericordiae tuae largire, ut amotis terroribus, et cujus iram expavimus, clementiam sentiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc.

Conjuratio.

Adjuro vos grandines, et ventos, per quinque vulnera Christi, et per Clavos, qui manus ejus, et pedes perforaverunt, et per quatuor Evangelistas, Sanctum Matthaeum, Marcum, Lucam, et

Joannem, ut in aquam resolutam descendatis.

Extendantur manus in modum Crucis contra nubes, dicendo:

Pater noster, Ave Maria, Credo, *cum oratione sequenti:*

Domine Jesu Christe, qui Caelum, et Terram creasti, Aquas Jordanis benedixisti, in quibus baptizari voluisti, manus in Cruce extendisti, et totum Mundum redemisti, bene ✝ dicere digneris hanc Nubem, quam video ante me positam, ut nulla tempestas Daemonum in seipsa praeveniens nocere possit. Bene ✝ dicat et terram nostram Deus Pater, bene ✝ dicat Deus Filius, bene✝dicat Deus Spiritus Sanctus. Dividat te Deus ✠ Pater, dividat te Deus ✠ Filius, dividat te Deus ✠ Spiritus Sanctus. Destruat te Deus ✠ Pater, destruat te Deus ✠ Filius, destruat te, Deus ✠ Spiritus Sanctus. Annihilet te Deus ✠ Pater annihilet te Deus ✠ Filius, annihilet te Deus ✠ Spiritus Sanctus. In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spi✝ritus Sancti, Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Initium sancti Evangelii secundum Joannem.

℟. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil, quod factum est.

In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes: Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine; Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae, et veritatis. ℟. Deo gratias.

§ V. *Alia Conjuratio ad fugandas Tempestates.*

Haec Conjuratio ter devote dicatur contra Tempus tempestuosum.

In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti. Amen. *Dicatur.* Pater noster.

℣. Et ne nos inducas etc.

℟. Sed libera nos a Fulgure, et Tempestate, et ab omni malo.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, et propitiare supplicantibus tibi, et hos pernoxios Imbres nubium, et vim Procellarum, et comminationem Tempestatis, in materiam tuae laudis transire facias. ℟. Amen. pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a Fulgure, et Tempestate, et ab omni malo.

Conjuro vos Aereas Tempestates per Deum vivum ✠, per Deum verum ✠, per Deum Sanctum ✠, ut non jactetis grandines, et tempestates in possessionibus, et finibus nostris, et non d'xeritis ante tribunal Christi, quod nemo vobis contradixerit.

Ego enim praecipio vobis in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ Sancti, ut non jactetis grandines, et tempestates in possessionibus, et finibus nostris, sed eas projicite in fluvium, vel immergite mari sine damno alicujus personae. ℟. Amen.


Postea dicatur Psalm. Lauda Jerusalem Dominum etc. *ut supra pag.* 247.

Rursus alias Conjurationes tempestatum vide Titulo V. sequenti § 9.

§. VI. *Remedium contra Pestem.*

Relatio, et explanatio, benedictio characterum, sive litterarum quarundam in forma Cru-

cis dispositarum, quae pia veneratione deferri consueverunt tempore pestis.



Relatio. *Quando An. 1546. Tridentini gravissima grassabatur pestis, refertur Patres Concilii Trident. cum devotione deportasse quosdam characteres in forma Crucis dispositos a S. Zacharia Episcopo vetusto Hierosol. collectos, et in effectu deprehendisse ipsorum deportationem, ac venerationem, esse utile remedium contra pestem, utpote signantium varias de-*

votas preces jaculatorias, et affectuosas, vetustas, et approbatas precatiunculas, pro avertendo malo contagionis ; uti constat ex eorum explanatione infra posita. Fuerunt autem dicti characteres olim ab eodem S. Antistite manu propria in membrana conscripti, ac demum in Hispan. Monast. de Frayles rursus reperti, et in venerationem positi cum miro effectu devotarum personarum, illos venerantium, deportantium, et eorum signata orantium: Ut videre est in Nucleo benedictionum pag. 122. et sequentibus.

Explanatio Caracterum.

†. Z. †. D I. A. †. B. I. Z. †. S. A. B. †. Z. †. H. G. F. †. B. F. R. S.

Sacrae hae Litterae a S. Zacharia Episcopo Hierosolymitano ante aliquot centenos annos in membrana manuscripta, in Hispaniensi Monasterio de Frayles repertae sunt, una cum earumdem expositione, et oratione.

†. Crux Christi salva me.

Z. Zelus domus tuae liberet me.

†. Crux vincit, Crux regnat, Crux imperat, per signum Crucis libera me Domine ab hac Peste.

D. Deus, Deus meus, expelle Pestem a me et a loco isto, et libera me.

I. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, cor, et corpus meum.

A. Ante Caelum, et Terram Deus erat, et Deus potens est liberare me ab ista Peste.

†. Crux Christi potens est ad expellendam pestem ab hoc loco, et a corpore meo.

B. Bonum est praestolari auxilium Dei cum silentio, ut expellat Pestem a me.

I. Inclinabo cor meum ad faciendas justificationes tuas, ut non confundar; quoniam invocavi te.

Z. Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns, speravi in te.

†. Crux Christi fuget Daemones, Aerem corruptum; et Pestem expellat.

S. Salus tua ego sum, dicit Dominus, Clama ad me, et ego exaudiam te, et liberabo te ab hac Peste.

A. Abyssus abyssum invocat, et voce tua expulisti Daemones; libera me ab hac Peste.

B. Beatus vir qui sperat in Domino, et non respexit in vanitates, et insanias falsas.

†. Crux Christi, quae antea fuit in opprobrium, et contumeliam; et nunc in gloriam, et nobilitatem, sit mihi in salutem, et expellat a loco isto Diabolum, et Aerem corruptum, et Pestem a corpore meo.

Z. Zelus honoris Dei convertat me antequam moriar, et in nomine tuo salva me ab ista Peste.

†. Crucis signum liberet populum Dei, et a Peste eos; qui confidunt in eo.

H. Haeccine reddis Domino, popule stulte? Redde vota tua offerens sacrificium laudis, et fidei illi, quia potens est istum locum, et me ab hac Peste liberare, quoniam qui confidunt in eo non confundentur.

G. Gutturi meo, et faucibus meis adhaereat lin-

gua mea, si non benedixero tibi: libera sperantes in te: in te confido, libera me Deus ab hac Peste, et locum istum, in quo nomen tuum invocatur.

F. Factae sunt tenebrae super universam Terram in morte tua, Domine: Deus meus, fiat lubrica, et tenebrosa Diaboli potestas, qui ad hoc venisti, Fili Dei vivi, ut dissolvas opera Diaboli; expelle tua potentia a loco isto et a me servo tuo Pestem istam; discedat aer corruptus a me in tenebras exteriores.

†. Crux Christi defende nos, et expelle a loco isto Pestem, et servum tuum libera a Peste ista, qui benignus es, et misericors, et multae misericordiae, et verax.

B. Beatus, qui non respexit in vanitates, et insanias falsas, in die mala liberabit eum Dominus: Domine in te speravi, libera me ab hac Peste.

F. Factus est Deus refugium mihi: quia in te speravi, libera me ab hac Peste.

R. Respice in me, Domine Deus meus Adonai, de sede Sancta Majestatis tuae, et miserere mei, et propter misericordiam tuam ab ista Peste libera me.

S. Salus mea tu es, sana me, et sanabor, salvum me fac, et salvus ero.

Hae litterae debent prius benedici a sacerdote.

Benedictio Characterum praefatae Crucis.

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus omnipotens bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, supplices te rogamus, ut manibus nostris opem tuae benedictionis infundas, et hos characteres, et litteras, ad alligandos daemones, morbosque pellendos tua revelatione praeparatas virtute S. Spiritus bene✝dicere digneris, et omnibus eis utentibus sanitatem mentis, et corporis, et gratiam sancti✝ficationis benignus concede, ut in conspectu tuo sancti, et immaculati, atque irreprehensibiles appareant, et insidias latentis inimici per auxilium misericordiae tuae clementer effugiant. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui voluisti pro Mundi redemptione de Virgine nasci, in carne tua Sanctissima circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda proditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati, et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis, et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, crucifigi, inter latrones deputari, felle, et aceto potari, et lancea vulnerari. Tu, Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas indignus recolo, et per tuam Sanctissimam Crucem, et Mortem, libera hunc locum cum omnibus incolis ejus et me servum

tuum, et omnes, quicumque per litteras, et characteres hos invocaverint Nomen S. tuum, ab ista peste, et expelle illam, et omnes insidias Diabolicae fraudis, atque omnes nos pristinae restitue sanitati, fracto cujuscumque generis malitiae vinculo. ℟. Amen.

Exorcismus S. Zachariae,

Maledicti, et excommunicati, et blasphemi daemones in virtute verborum istorum, Messias, Emmanuel, Sabaoth, Adonay, Athanatos, Ischyros, Eleison Imas, Irios Tetragrammaton, vos constringimus, vos privamus, vos expellimus de hac civitate, et loco et domibus ejus, et praecipimus vobis, ut non habeatis potestatem per Pestem nocere corporibus habitantibus in ea: ite, ite, ite statim in stagnum ignis, ite statim ad loca vobis deputata, et non amplius habitatores hujus loci occidatis.

Imperat vobis Deus Pater ✠, imperat vobis Deus Filius ✠, imperat vobis Deus Spiritus Sanctus ✠, imperat vobis Sanctissima Trinitas ✠ unus Deus. Discedite maledicti daemones in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respices, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Deus, qui justificas impium, et non vis mor-

tem peccatoris, Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut famulos tuos, de tua misericordia confidentes, caelesti protegas benignus auxilio, et assidua protectione conserves, ut tibi jugiter famulentur, et nullis tentationibus a te separentur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc.

Benedictionem ✠ tuam, Domine, populus fidelis accipiat, qua corpore salvetur, et mente, et congruam exhibeat servitutem, et propitiationis tuae beneficia semper inveniat.

OREMUS

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere, et gloriosa B. Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Da nobis quaesumus Domine, piae petitionis effectum, et Pestilentiam, mortalitatemque propitiatus averte, ut mortalium corda cognoscant, a te indignante talia flagella prodire, et te miserante cessare. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen. *Et aspergatur aqua benedicta.*

TITULUS DE EXORCISMIS.

§ I. *Exorcismus super persona obsessa a Daemone.*

In primis necesse est, ut ipse Exorcista maxima cum fide, conscientia munda, et magna

cum humilitate ad munus hoc praestandum accedat : ac prius (si fieri poterit) Missae sacrificio celebrato , memineritque esse aliquod genus Daemoniorum , quod non nisi Oratione , et Jejunio expellitur.

Disponat obsessum, ut contritione, ac confessione mundet conscientiam , et ut frequenter oret Deum , ut ab eo flagello illum liberet , si ad ejus salutem promerendam expedit. Ne facile credat aliquem a Daemonio esse obsessum : sed nota habeat ea signa , quibus obsessus a Daemone , ab iis , qui atra bile vel morbo aliquo affecti sunt, dignoscitur. Certissima signa haec sunt : ignota lingua bene et diu loqui , aut distantia , et occulta patefacere.

Probabilia autem signa sunt , ad sacra verba contremiscere , torsiones , motus , furores insolitos , ac repentinos sentire , horrere , ac detestari divina , et dolore ob ea affici : corporis , vel alicujus membri insolita inflatio , vires alioquin super aetatis , vel conditionis naturam.

Praeterea caveat Exorcizans , ne quidquam curiose a Daemone quaerat ; sed ea tantum interroget , quae ad ejus expulsionem necessaria esse judicaverit; alioquin curiosa, vel occulta ab eo sciscitari , grave peccatum est et prohibitum a summo Pontifice Sixto Quinto ; necessaria autem haec videntur , nimirum interrogare de numero spirituum , de causa , seu occasione , qua in corpus ingressi sunt , et de tempore : ceteras autem Daemonis nugas , risus , ineptias , nec advertat ipse,

et circumstantes ne curent, admoneat; iis enim nugis animum a devotione avocat.

Cum daemon superbus sit, profuerit illum opprobriis urgere, Christi exemplo, qui daemones nequam, et immundos spiritus appellabat. Hoc autem faciat magna cum fide, memor potestatis, quam a Domino accepit, ut daemonibus imperet.

Advertat insuper Exorcista in mulieribus exorcizandis, ut honestatis sit memor, neve quidpiam dicat, vel faciat, quod vel ipsi, vel mulieri occasio esse possit alicujus impudicae cogitationis. Moneat etiam eum, qui obsidetur, si divina gratia liberatus fuerit, ut diligenter sibi caveat a peccatis etiam levioribus, ne occasionem praebeat daemoni iterum regredienti.

Caveat autem Exorcista, ne ipse hoc munus exerceat, nisi prius habita in scriptis facultate a Superiori suo Majore.

Quando itaque Exorcista volet actu exorcizare aliquam personam a daemone obsessam, prius confiteatur, aut conteratur de omnibus suis peccatis: legat etiam Missam, si tempus commodum sit, ut sic caelesti illo, ac supremo domitore daemonum, Christo Salvatore nostro munitus, audacius, et potentius contra superbos Spiritus obsidentes procedere valeat. Deinde armet se efficaci actu fidei, qui aptissimus est ad impugnandos, et ejiciendos immundos Spiritus, ad eumdemque etiam inducat personam obsessam statim a principio Exorcismi. Dum autem actualiter volet Exorcismum inchoare, muniat se signo sanctae Crucis, et aspergat se ac adstantes, et obses-

sum aqua benedicta. Desuper recitet Litanias omnium Sanctorum usque ad preces exclusive, Postea dicat Antiphonam:

Ne reminiscaris, etc. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

Psal. Deus in nomine tuo salvum me fac, etc. *ut supra pag. 105.*

℣. Salvum fac servum tuum.

℟. Deus, sperantem in te.

℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Domine exaudi, etc.

℣. Dominus vobiscum etc.

OREMUS

Deus, cui proprium est misereri semper, et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc Famulum tuum (*vel* Famulam tuam,) quem, (*vel* quam) delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Domine, sancte, Pater omnipotens, aeternae Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui illum refugam tyrannum, et apostatam gehennae ignibus deputasti, quique Unigenitum tuum in hunc mundum misisti, ut illum rugientem contereret; velociter attende, accelera, ut eripias hominem, ad imaginem, et similitudinem tuam

creatum, a ruina, et daemonio meridiano. Da, Domine, terrorem tuum super bestiam, quae exterminat vineam tuam. Da fiduciam servis tuis, contra nequissimum Draconem, pugnare fortissime ne contemnat sperantes in te, et ne dicat, sicut in Pharaone, qui jam dixit: Deum non novi, nec Israel dimitto. Urgeat illum dextera tua potens, discedere a Famulo tuo N. (vel famula tua N.), ne diutius presumat captivum tenere, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, et in Filio tuo redemisti, qui tecum vivit, etc.

Deinde praecipiat Daemoni in hunc modum:

Praecipio tibi, quicumque es, spiritus immunde, et omnibus sociis tuis, hunc Dei Famulum, (vel famulam) obsidentibus, ut per mysteria Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, et Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, per Missionem Spiritus Sancti, et per Adventum ejusdem Domini nostri ad judicium, dicas mihi nomen tuum, diem, et horam exitus tui, cum aliquo signo, et ut mihi Dei ministro (licet indigno) prorsus in omnibus obedias, neque hanc Creaturam Dei, vel circumstantes, aut eorum bona ullo modo offendas. *Deinde legantur super obsessum haec Evangelia, vel unum aut alterum.*

✠ *Initium S. Evangelii secundum Joannem.*
℟. Gloria tibi Domine.

Haec dicens signet se, et obsessum in fronte, ore, et pectore.

In principio erat verbum, etc. *ut supra pag.* 265
Deinde.

✠ *Sequentia S. Evangelii secundum Marcum.*
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Euntes in Mundum universum, praedicate Evangelium omni Creaturae: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur. In nomine meo daemonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super aegros manus imponent, et bene habebunt.

℟. Laus tibi Christe.

✠ *Sequentia S. Evangeli secundum Lucam.*
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Reversi sunt septuaginta duo cum gaudio dicentes ad Jesum: Domine, etiam daemonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis; videbam Sathanam, sicut fulgur de Caelo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra Serpentes, et Scorpiones, et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit; verumtamen in hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in Caelis.

℟. Laus tibi Christe.

✠ *Sequentia Sancti Evang. secundum Matthaeum.*
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Erat Jesu ejiciens daemonium, et illud erat mutum; et ejecisset daemonium, locutus est mutus, et admiratae sunt turbae. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub Principe daemoniorum ejicit daemonia; et alii tentantes, signum de Caelo quaerebant ab eo. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Si autem et Sathanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? Quia dicitis: In Beelzebub me ejicere daemonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio daemonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo Ipsi judices vestri erunt. Porro si in digito Dei ejicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quae possidet; si autem fortior ei superveniens vicerit eum, universa arma auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.
℟. Laus tibi Christe.
℣. Domine exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Omnipotens Domine, verbum Dei Patris, Christe Jesu, Deus, et Dominus universae Creaturae, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super Serpentes, et Scorpiones; qui inter cetera mirabilium tuorum praecepta digna-

tus es dicere: daemones effugate; cujus virtute motus, tamquam fulgur de Caelo Sathanas cecidit; tuum sanctum Nomen cum timore, et tremore suppliciter deprecor, ut indignissimo mihi servo tuo, data venia omnium delictorum meorum, constantem fidem, et potestatem donare digneris, ut hunc crudelem daemonem, brachii tui sancti munitus potentia, fidenter, et securus aggrediar. Per te Jesu Christe Domine Deus noster qui venturus es judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem.

Deinde muniens se, et obsessum Signo Crucis, et circumposita parte Stolae ad collum ejus, et dextera manu sua capiti ejus imposita, constanter, magna cum fide dicat ea, quae sequuntur:

Ecce Crucem ✠ Domini, fugite partes adversae, vicit Leo de tribu Juda, radix David.

℣. Domine exaudi etc.

℣. Dominus vobiscum etc.

OREMUS

Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, invoco Nomen sanctum tuum, et clementiam tuam supplex exposco, ut adversus hunc, et omnem immundum spiritum, qui vexat hoc plasma tuum, mihi auxilium praestare digneris. Per eumdem Dominum etc.

EXORCISMUS

Exorcizo te, immundissime spiritus, omnis incursio adversarii, omne phantasma, omnis ✠ eradicare legio, in nomine Domini Jesu Christi; et effugare ab hoc plasmate Dei ✠. Ipse tibi im-

perat, qui te de supernis Caelorum in inferiora Terrae demergi praecepit. Ipse tibi imperat, qui mari, ventis, et tempestatibus imperavit. Audi ergo, et time, Sathana, inimice fidei, hostis generis humani, mortis adductor, vitae raptor, justitiae declinator, malorum radix, fomes vitiorum, seductor hominum, proditor gentium, incitator invidiae, origo avaritiae, causa discordiae, excitator dolorum, quid stas, et resistis, cum scias Christum Dominum vires tuas perdere? Illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Joseph venundatus, in Agno occisus, in Homine crucifixus, deinde Inferni triumphator fuit.

(*sequentes Cruces fiant in fronte obsessi*)

Recede ergo in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ Sancti. Da locum Spiritui Sancto, per hoc signum ✠ Crucis Jesu Christi Domini nostri. Qui cum Patre, et eodem Spiritu Sancto, etc.

℣. Domine exaudi orationem etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus Conditor, et defensor generis humani, qui hominem ad imaginem tuam formasti, respice super hunc Famulum tuum, qui dolis, immundi spiritus appetitur, quem vetus adversarius, antiquus hostis Terrae, formidinis horrore circumvolat, et sensum mentis humanae stupore defigit, terrore conturbat, et metu trepidi timoris exagitat. Repelle Domine virtutem Diaboli, fallacesque ejus insidias amove. procul impius tentator aufugiat; sit nominis tui Signo † (*in fron-*

te) Famulus tuus munitus, et in Anima tutus, et corpore. *Tres Cruces sequentes fiant in pectore Daemoniaci.*

Tu pectoris ✝ hujus interna custodias. Tu viscera ✝ regas. Tu cor ✝ confirmes. In Anima adversatricis potestatis tentamenta evanescant. Da Domine ad hanc invocationem Sanctissimi Nominis tui gratiam: ut qui hucusque terrebat, territus aufugiat, victus abscedat: ubique possit hic famulus tuus, et corde firmatus, et mente sincerus, debitum praebere famulatum. Per Dominum nostrum, etc.

Adjuratio I.

Adjuro te, Serpens antique, ut per Judicem vivorum, et mortuorum, per Factorem tuum, per Factorem Mundi, per eum, qui habet potestatem mittendi te in gehennam; ut ab hoc Famulo Dei, qui ad Ecclesiae sinum recurrit, cum metu, et exercitu furoris tui festinus discedas. Adjuro te iterum ✝ (*in fronte*) non mea infirmitate, sed virtute Spiritus Sancti, ut exeas ab hoc Famulo Dei, quem omnipotens Deus ad imaginem suam fecit. Cede igitur, cede non mihi, sed Ministro Christi: illius te urget potestas, qui te Cruce sua subjugavit: illius brachium contremisce, qui devictis gemitibus Inferni animas ad lucem perduxit: Sit tibi terror corpus hominis ✝ (*in pectore*) sit tibi formido imago Dei ✝ (*in fronte*): ne resistas, nec moreris discedere ab Homine isto, quoniam complacuit Christo in Homine habitare. Et ne condemnendum putes, dum

me peccatorem nimis esse cognoscis. Imperat tibi Deus †. Imperat tibi Majestas Christi † Imperat tibi Sacramentum Crucis †. Imperat tibi fides Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli et ceterorum Sanctorum †. Imperat tibi Martyrum sanguis †. Imperat tibi continentia Confessorum †. Imperat tibi pia Sanctorum, et Sanctarum omnium intercessio †. Imperat tibi Christianae fidei Mysteriorum virtus †. Exi ergo trasgressor; Exi seductor plene omni dolo, et fallacia, virtutis inimice, innocentium persecutor. Da locum, durissime. Da locum impiissime. Da locum Christo, in quo nihil invenisti de operibus tuis; qui te spoliavit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligavit, et vasa tua diripuit, qui te projiciet in tenebras exteriores, ubi tibi cum ministris tuis erit praeparatus interitus. Sed quid, truculente, retineris? Quid, temerarie, detrectas? Reus es omnipotenti Deo, cujus statuta transgressus es: Reus es Filio ejus Jesu. Et Christo Domino nostro, quem tentare ausus es, et crucifigere praesumpsisti: Reus es humano generi, cui tuis persuasionibus venenum propinasti. Adjuro ergo te, Draco nequissime in nomine Agni † Immaculati, qui conculcavit leonem, et draconem, qui ambulavit super aspidem, et basiliscum, ut discedas ab hoc Homine † (*in fronte*) discedas ab Ecclesia Dei, † (*super circumstantes.*) Contremisce, et effuge invocato nomine Domini illius, quem Inferi tremunt, cui Virtutes Caelorum, et potestates, et Dominationes subjectae sunt; quem Cherubin, et Seraphim

indefessis vocibus laudant dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Imperat tibi ✠ Verbum caro factum: Imperat tibi ✠ natus ex Virgine: Imperat tibi ✠ Jesu Nazarenus, qui te, cum discipulos ejus contemneres, elisum, atque prostratum exire praecepit ab Homine; quo praesente, cum te ab Homine separasset, nec porcorum gregem ingredi praesumebas. Recede ergo nunc adjuratus in nomine ✠ ejus ab Homine, quem ipse plasmavit. Durum est tibi velle resistere ✠. Durum est tibi contra stimulum calcitrare ✠. Quia quanto tardius exis, tanto magis tibi supplicium crescit, quia non Homines contemnis, sed illum, qui dominator est vivorum, et mortuorum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum; etc.

OREMUS

Deus caeli, Deus Terrae, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum; Deus qui potestatem habes donare vitam post mortem, requiem post laborem, quia non est alius Deus praeter te, nec esse poterit verus, nisi tu Creator Caeli, et Terrae, qui verus Rex es, et cujus regni non erit finis, humiliter Majestatem gloriae tuae supplico, ut hunc Famulum tuum de immundis Spiritibus liberare digneris. Per Christum Dominum, etc.

Adiuratio II.

Adjuro ergo te, omnis immundissime Spiritus, omne phantasma, omnis incursio Sathanae, in nomine Jesu Christi ✠ Nazareni, qui post lavacrum Jordanis in desertum ductus est, et te in tuis sedibus vicit; ut, quem ille de limo terrae ad honorem gloriae suae formavit, tu desinas impugnare, et in Homine miserabili non humanam fragilitatem, sed imaginem omnipotentis Dei contremiscas. Cede ergo Deo ✝, qui te, et malitiam tuam in Pharaone, et in exercitu ejus per Moysem servum suum in abyssum demersit. Cede Deo ✝, qui te per fidelissimum servum suum David de Rege Saule spiritualibus Canticis pulsum fugavit. Cede Deo ✝, qui te in Juda Iscariote proditore damnavit. Ille enim te divinis verberibus tangit, in cujus conspectu tuis legionibus tremens, et clamans dixisti: Quid nobis, et tibi, Jesu Fili Dei Altissimi, venisti huc ante tempus torquere nos? Ille te perpetuis flammis urget, qui in fine temporum dicturus est impiis: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus. Tibi enim, impie, et angelis tuis, vermes erunt, qui nunquam morientur. Tibi, et Angelis tuis inextinguibile praeparatur incendium, quia tu esse princeps maledicti homicidii, tu auctor incestus, tu sacrilegiorum caput, tu actionum pessimarum magister, tu haereticorum doctor, tu totius obscenitatis inventor. Exi ergo ✠, impie. Exi ✠ scelerate.

Exi ✠ Exi cum omni fallacia tua, quia Hominem Templum suum esse voluit Deus. Sed quid diutius moraris hic? Da onorem Deo Patri omnipotenti †, cui omne genuflectitur. Da locum Domino Jesu Christo ✠, qui pro homine Sanguinem suum sacratissimum fudit. Da locum Spiritui S. ✠, qui per Beatum Apostolum suum Petrum, te manifeste stravit in Simone Mago; qui fallaciam tuam in Anania, et Saphira condemnavit; qui te in Herode honorem Deo non danti percussit; qui te in mago Elima, per Apostolum suum Paulum, caecitatis caligine perdidit, et per eumdem de Pythonissa, verbo imperans exire praecepit. Discede ergo nunc ✠, discede seductor ✠. Tibi eremus sedes est. Tibi habitatio serpens est, humiliare, et prosternere. Jam non est differendi tempus: Ecce enimDominator Dominus proximat cito, et ignis ardebit ante ipsum, et praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus; si enim hominem fefelleris, Deum non potes irridere. Ille te ejicit, cujus oculis nihil occultum est: Ille te expellit, cujus virtuti universa subjecta sunt: Ille te excludit, qui tibi, et Angelis tuis praeparavit aeternam gehennam, de cujus ore exibit gladius acutus; qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. Amen.

Haec omnia repeti poterunt, donec obsessus fuerit liberatus, juvabit etiam dicere devote, saepeque repetere, Pater noster, etc. Ave Maria, etc. Credo, etc. Magnificat, etc. Benedictus, etc. Nunc

dimittis, etc. Symbolum S. Athanasii. *Psalm.* Qui habitat, etc. Exurgat Deus, etc. Deus in adjutorium meum intende, etc. Confitemini Domino quoniam bonus, etc. Judica Domine nocentes me, etc. In te Domine speravi, etc. Deus Deus meus, respice in me, etc. Domine, quid multiplicati sunt, etc. In Domino confido, etc. Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem, etc. *Qui Psalmi videndi sunt in Rituali Romano, prout necessitas urgebit, ubi latius documenta exorcizandi inveniuntur circa finem.*

OREMUS.

Deus, qui per unigenitum tuum, exclusa dominatione Diaboli, populum tibi fidelem aptasti, expelle, quaesumus, a famulo tuo cunctas diabolicae illusionis insidias, et eum illibatum ab omni ejus impugnatione conserva. Per eumdem Dominum, etc.

In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Omnipotens aeterne Deus, a cujus facie Caeli distillant, montes sicuti cera liquescunt; terra tremit; cui parent abyssi; quem infernus pavescit; quem omnis terrarum motus aspicit, humiliter supplex te deprecor, Dominator Domine, ut invocatione nominis tui; ab hujus Famuli tui N. vexatione anima liberata, ad auctorem suae salutis recurrat, liberatoremque suum, diabolico depulso foetore, et odore suavissimo Spiritus Sancti percepto, sequatur Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit, et regnat, etc. *Aspergat, etc.*

Post liberationem.

Oramus te, Domine, omnipotens Deus, ut spiritus iniquitatis amplius non habeat potestatem in hoc Famulo tuo N. sed fugiat, et non revertatur. Ingrediatur in eum, te jubente, bonitas, et pax Domini nostri Jesu Christi, per quem redempti sumus, et ab omni malo non timebimus, quia Dominus nobiscum est. Qui vivit, et regnat, etc.

Poterunt dici pro gratiarum actione Litaniae B. MARIÆ, etc. TE DEUM laudamus, etc. pròut in Domino magis expedire videtur.

§ II. *Formula exorcizandi Maleficiatos quoscumque.*

Exorcista legat alta voce flexis genibus Litanias omnium Sanctorum, vel B. V. MARIÆ cum collectis.

Concede nos Famulos tuos, etc. Deus, qui salutis aeternae, etc.

OREMUS

O Maria Virgo, quae contrivisti caput serpentis; fugatrix Daemonum, maleficiorum dissipatrix, ne haec Creatura ad imaginem, et similitudinem Filii tui creata ulterius crucietur, succurre, et preces nostras, quas auribus tuae pietatis, et misericordiae offerimus, exaudi, ut desideratam sanitatem accipere mereatur propitio Jesu Christo Filio tuo Crucifixo, regnante in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Aspergat Maleficiatum aqua benedicta, et stando legat sequentia.

Lectio Libri Ecclesiastici.

Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum, et immitte timorem tuum super gentes, quae non exquisierunt te: ut cognoscant, quia non est Deus nisi tu, et enarrent magnalia tua. Tu autem Domine miserere nobis.

℟. Deo gratias.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Legatur, Initium S. Evangelii secundum Joannem. In principio erat verbum: *ut supra pag.* 208.

℟. Laus tibi Christe. *Deinde dicatur*:

Per Evangelica verba tollantur, et destruantur in N. omnia diabolica opera. ℟. Amen.

Ex Psalmis, ad consolationem afflicti.

Expecta Dominum, et custodi viam ejus, et exaltabit te, ut haereditate capias terram: cum perierint peccatores, videbis. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus. Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet; non dabit in aeternum fluctuationem justo. Super aspidem, et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem, et draconem. Quoniam Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Dominus custodit te, ab omni malo custodiat animam tuam Dominus. Dominus

custodiat introitum tuum, et exitum tuum, ex hoc, nunc, et usque in saeculum. Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur. *Ex Jer.* 17. Sana me, Domine, et sanabor, et salvum me fac, et salvus ero, quoniam salus mea tu es. Non sis mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego; paveant illi, et non paveam ego; induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos, Domine Deus noster.

OREMUS

Deus, qui Beato Petro Apostolo tuo, collatis clavibus Regni Caelestis, ligandi, atque solvendi Pontificium tradidisti, concede, ut intercessionis ejus auxilio, a peccatorum nexibus, et diaboli vinculis N. hic famulus tuus (*vel* haec famula tua) liberetur. Per eumdem qui venturus est etc.

EXORCISMUS

Conjuro vos ✠ Daemones infernales, spiritus maligni, qui ad inferendum malum huic creaturae Dei fabricastis, et conservastis Maleficium in ea; per Deum Patrem ✠ omnipotentem, et Filium ✠ ejus unicum Dominum nostrum Jesum Christum, et Spiritum S. Paraclitum ✠, ab utroque procedentem, vobis praecipio, ut omnibus incantationibus, signaturis, ligaturis statim sublatis ab hac Creatura Dei, et ab omni-

bus rebus ejus recedatis, atque liberam ab omni maleficio, incantatione, et ligatura relinquatis per sacratissimum, tremendum, horrendum, et glorificandum nomen Jesu, et per virtutem ejus, qui est Alpha, et Omega, Principium, et Finis, qui ambulat super pennas ventorum: qui omnia ex nihilo sua omnipotenti virtute creavit, per quem omnes Sancti et Electi Dei beatificantur, ante cujus faciem ignis praecedet, et inflammabit vos inimicos suos. Conjuro † vos malignos Daemones, inimicos triumphatoris Jesu Christi Nazareni, ut cessetis hanc Creaturam Dei N. vestris maleficiis laedere, per potentiam illius, qui vos rebelles a consortio Ss. Angelorum exclusos, ad sedes tartareas damnavit, igne et sulphure cruciandos, ut protinus destruatis, et ad nihilum redigatis omnia Maleficia, et incantationes, ligaturas, et omnes vestras noxias pactiones, quibus hanc Creaturam Dei infestare, et affligere praesumpsistis, eamque liberam, et sanam, sine ulla laesione animae, et corporis in posterum permittatis ut mente, et corpore pariter expedita, liberam servitutem suo exhibeat Creatori. Qui vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Aspergat aqua benedicta Maleficiatum. Deinde dicatur Exorcismus alius, ut supra pag. 145.

§. III. *Modus exorcizandi quaevis Animalia, per Maleficia, et veneficia afflicta.*

Exorcista omnibus domesticis ad Orationem in-

vitatis, ipsum stabulum, et Animalia aqua benedicta aspergat. Postea legat clara voce flexis genibus, si commode possit, Litanias omnium Sanctorum, quibus subjungat sequentes Orationes.

OREMUS

Deus qui laboribus hominum etiam de mutis Animalibus solatia subrogasti, supplices te rogamus, ut sine quibus non alitur humana conditio, nostris facias usibus non perire. Per Dominum nostrum, etc. ℟. Amen.

OREMUS

Tribulationem nostram, quaesumus Domine, propitius respice, et iram tuae indignationis, quam juste meremur, averte. Per Dominum nostrum, etc. ℟. Amen.

OREMUS

Averte, quaesumus Domine, a fidelibus tuis cunctos miseratus errores, et saevientium morborum, qui grassantur in Animalia depelle perniciem; ut quos suo merito flagellas devios, foveas miseratione correctos. Per Dominum nostrum etc. ℟. Amen.

Surgens Exorcista ab oratione aspergat iterum Animalia, et locum totum cum adstantibus aqua benedicta, et versus animalia maleficiata legat sequentia:

Lectio Jeremiae prophetae.

Si iniquitates nostrae responderint nobis, Domine, fac propter nomen tuum, quoniam multae sunt aversiones nostrae: tibi peccavimus, ex-

pectatio Israel Salvator noster in tempore
lationis nostrae. Tu autem in nobis es,
ne, et nomen tuum invocatum est super
ne derelinquas nos, Domine Deus noster.
tem Domine miserere nobis.

℟. Deo gratias.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritum tuo.

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum M*

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Dixit Jesus Discipulis
Habete fidem Dei. Amen, dico vobis, qu
cumque dixerit huic monti: tollere, et
in mare, et non haesitaverit in corde su
crediderit, quia quodcumque dixerit, fia
ei. Propterea dico vobis: omnia quaecumqu
tes petitis, credite quia accipietis, et e
vobis. Et cum stabitis ad orandum, dimi
quid habetis adversus aliquem; ut, et P
ster, qui in caelis est, dimittat vobis
vestra. Quod si non dimiseritis, nec P
ster, qui in caelis est, dimittet vobis
vestra.

℟. Laus tibi Christe.

Per Evangelica dicta tollantur, et av
omnia Diabolica facta. Amen.

Vel si malit, recitabit initium Evangelii S
nis. In principio etc. *ut supra pag.* 265
contra omnia maleficia, et infirmitates re

est adhiberi. Deinde dicantur Psalmi sequentes.

Psalm. Deus in nomine tuo salvum me fac, etc. *ut supra pag. 105.*

Psalmus 56.

Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum, Deum, qui benefecit mihi.

Misit de caelo, et liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam, et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.

Filii hominum dentes eorum arma, et sagittae; et lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super Caelos, Deus, et in omnem terram gloria tua.

Laqueum paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo, et psalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurgens psalterium, et cithara: exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis, Domine, et psalmum dicam tibi in gentibus.

Quoniam magnificata est usque ad Caelo
sericordia tua ; et usque ad nubes veritas
Exaltare super Caelos, Deus: et super o
terram gloria tua.
Gloria Patri, etc.

Psalmus 7.

Domine Deus meus in te speravi, salvu
fac ex omnibus persequentibus me, et libe
Ne quando rapiat ut leo animam meam
non est qui redimat, neque qui salvum
Domine Deus meus si feci istud: si est i
las in manibus meis.
Si reddidi retribuentibus mihi mala: de
merito ab inimicis meis inanis.
Persequatur inimicus animam meam: et
prehendat, et conculcet in terra vitam m
ut gloriam meam in pulverem deducat.
Exurge Domine in ira tua, et exaltare
nibus inimicorum meorum.
Et exurge, Domine Deus meus, in p
pto, quod mandasti: et synagoga populoru
cumdabit te.
Et propter hanc in altum regredere:
nus judicat populos.
Judica me Domine secundum justitiam
et secundum innocentiam meam super me
Consumetur nequitia peccatorum, et
justum, scrutans corda, et renes Deus.
Justum adjutorium meum a Domino, q
vos facit rectos corde.

Deus Judex justus, fortis, et patiens, nunquid irascitur per singulos dies?

Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit; arcum suum tetendit, et paravit illum.

Et in eo paravit vasa mortis; sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit.

Converfetur dolor ejus in caput ejus: et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Confitebor Domino secundum justitiam ejus, et psallam nomini Domini altissimi.

Gloria Patri, etc.

EXORCISMUS

Exorcizo te, Daemon maledicte, immunde, ac maligne Spiritus, quicumque Animalia ista, Dei vivi, et veri Creaturas affligere, aut vexare audes, et adjuro te per eumdem Deum vivum ✠, per Deum verum ✠, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, ut exeas, et recedas a loco isto, nec unquam huc reverti praesumas, neque eodem loco, vel alibi agentibus hominibus, aut jumentis damnum, vel pavorem immittas, aut quodcumque Maleficium in detrimentum vitae illorum, vel sanitatis, aut utilitatis inferas, per eum, qui te in patibulo Crucis vicit, et superavit; arma, in quibus confidebas, abstulit, spoliaque tua distribuit ac potestatem tuam in electorum suorum salutem, et consolationem ligavit; qui venturus

est statuto tempore judicare vivos , et u
et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Alius Exorcismus.

Adjuro vos , o maligni Spiritus , per
rem Caeli , et Terrae , per incarnatione
ni nostri Jesu Christi, ejusque Circumci
Apparitionem, Baptismum, Jejunium , et
cem ejus , per Clavos, Lanceam , Latus, l
pedes Christi perforatos , per Passionen
tem , Resurrectionem , et Ascensionem
ritus Sancti Missionem, et per gloriosam
Mariam , et per merita omnium Apost
Martyrum, et confesscrum, Virginum, et
Electorum , ut nunquam amplius accessu
tis ad hunc locum in detrimentum Ho
Animalium , et quarumcumque rerum
utilitati, a Deo indultarum: In nomine
et Fi✠lii , et Spiritus ✠ Sancti. ℟. A

Et aspergens Animalia , et locum iten benedicta , et adstantes , dicat:

Domine Deus , Pater omnium rerum
de Nos, et Pecora ista: defende, Domi
tua , defende Familiam istam ab omnib
per virtutem aquae a te , ministerio E
benedictae , et per invocationem sancti
tui. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii , et
✠ Sancti. Et exterminetur Diabolus a ter
rum , per invocationem sancti Nominis
omnium Angelorum.Patriarcharum, Propl
et Apostolorum , Martyrum , Confessor
ginum , et omnium Electorum, et Nos, e

haec ab omni malo liberare, et custodire digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Poterunt praedicta saepius repeti, vel aliae preces, et Exorcismi ex supra, et infra positi, vel ex iis, quae habentur contra infestationes Domorum, his adjungi, mutatis mutandis.

§ IV. *Exorcismus contra Vermes, Muscas, Mures, Serpentes, aliaque noxia Animalia inficientia agros, vineas, vel aquas.*

Exorcista veniens ad locum infestum, indutus ad minimum Stola, spargat aquam benedictam circum circa, vel secundum loci exigentiam. Deinde, signans se signo Crucis, subjungat clara voce, flexis genibus, si commoditas loci permittat, Litanias omnium Sanctorum cum sequentibus orationibus.

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, refugium nostrum, et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, et praesta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Christum etc.

OREMUS

A loco isto, quaesumus Domine, Spiritales nequitiae, et noxia quaeque recedant, et aerearum potestatum malignitas, ut praesentibus subsidiis sufficienter adjuti sempiterna fiducialius appetamus. Per Christum etc.

OREMUS.

Preces nostras, quaesumus Domine, cle
ter exaudi, ut, qui juste pro peccatis nostr
fligimur, et hanc aerumnam patimur, proc
potentia expulsa haec noxia animalia nulli
tero noceant, et hos Agros, Terras, Aqu
tranquillitate, et quiete dimittant, quatenus
provenientia Majestati tuae deserviant, et n
necessitati absque nocumento subveniant.
Christum etc.

Surgens Exorcista ab oratione, versus A
vel aquam legat sequentia:

Lectio libri Apocalypsis B. Joannis Apost

Et quintus Angelus tuba cecinit, et vidi
lam de Caelo cecidisse in Terram; et dat
ei clavis putei abyssi. Et aperuit puteum al
et ascendit fumus fornacis magnae, et obs
tus est Sol, et aer de fumo putei, et de
putei exierunt locustae in Terram, et data
lis potestas, sicut habent potestatem Scorp
Terrae. Et praeceptum est illis, ne laederen
num Terrae, neque omne viride, neque or
arborem, nisi tantum Homines, qui non h
signum Dei in frontibus suis. Tu autem Dc
miserere nobis.

℟. Deo gratias.

℣. Dominus vobiscum, etc.

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum L*

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Dixit Jesus Discipulis sui

tite, et dabitur vobis; pulsate, et aperietur vobis: Omnis enim qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur. Quis autem Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ovum, nunquid porriget illi scorpionem? si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de Caelo dabit Spiritum bonum petentibus se?

Osculetur librum, et dicat Per evangelica dicta deleantur nostra delicta. Amen.

Ex Psalmo 49.

Deus Deorum Dominus locutus est, et vocavit terram.

A solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris ejus.

Deus manifeste veniet: Deus noster, et non silebit.

Ignis in conspectu ejus exardescet: et in circuitu ejus tempestas valida.

Advocabit Caelum desursum: et Terram discernere populum suum.

Congregate illi Sanctos ejus, qui ordinant Testamentum ejus super sacrificia.

Et annuntiabunt Caeli justitiam ejus: quoniam Deus Judex est.

Audi populus meus, et loquar, Israel, et testificabor tibi: Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrificiis tuis arguam te, holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.

Quoniam meae sunt omnes ferae sylvarum: jumenta in montibus, et boves.

Cognovi omnia volatilia Caeli; et pulchritudo agri mecum est.

Si esuriero non dicam tibi: meus est enim orbis terrae, et plenitudo ejus.

Nunquid manducabo carnes taurorum: aut sanguinem hircorum potabo?

Immola Deo sacrificium laudis, et redde altissimo vota tua.

Et invoca me in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me. Gloria Patri, etc.

Ex Psalmo 148.

Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus: et sapientiae ejus non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus; humilians autem peccatores usque ad terram.

Praecinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit Caelum nubibus, et parat terrae pluviam.

Qui producit in montibus, foenum, et herbam servituti hominum.

Qui dat jumentis escam ipsorum: et pullis corvorum invocantibus eum. Gloria Patri, etc.

EXORCISMUS

Exorcizo, et adjuro † vos pestiferi vermes, per Deum Patrem † omnipotentem, et per Jesum

Christum ✝ Filium ejus Dominum nostrum, et per Spiritum ✝ Sanctum ab utroque procedentem, ut confestim recedatis ab his Campis, Pratis, Agris, Hortis, Vineis, et Aquis, et si Dei Providentia adhuc vitam vobis indulgeat, ne amplius in eis habitetis, sed ad illa, ac talia loca transeatis, ubi nullis Dei Servis nocere possitis. Vobis, si per maleficium Diabolicum hic estis, pro parte Divinae Majestatis, totius Curiae Caelestis, nec non Ecclesiae hic adhuc militantis, impero, ut deficiatis in vobis ipsis, ac decreseatis, quatenus, reliquiae de vobis nullae reperiantur, nisi ad gloriam Dei, et ad usum, et salutem humanam conducibiles: quod praestare dignetur, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. Amen.

Alius Exorcismus.

Adjuro vos Daemones, per Deum Patrem Omnipotentem, qui in deserto per quadraginta annos satiavit filios Israel Manna, et ex petra aquam eduxit eis ad bibendum, ut statim ab his Agris, Campis, Vineis, Pratis, Hortis, Aquis, omne, quod noxium est, amoveatis. Adjuro etiam vos Animalia, et quaecumque per maleficium Diaboli noxia estis hominibus, et bonis eorum, per Deum Pa✝trem omnipotentem, et per Fi✝lium ejus, et per Spiritum ✠ Sanctum Paraclytum, ut hinc discedatis, nocere desinatis Graminibus, Frugibus, Piscibus (*exprimantur quae nocumentum patiuntur*) et dissipemini, et omnis virtus, et potestas nocendi vobis adimatur, et interimat vos dextera Dei omnipotentis per invocationem Nomi-

nis sui, et per Passionem, et mortem Jesu Christi Filii sui; et per merita Beatissimae Virginis Mariae, et omnium Sanctorum et Sanctarum Caelestis Curiae. Amen.

Concludat Exorcista sequenti oratione:

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, remunerator omnium bonorum, et Poenitentium peccatorum maximus miserator, in cujus Nomine omnia genuflectuntur, Caelestium, Terrestrium, et Infernorum: concede nobis propitius, ut quod de gratia, et misericordia tua confisi agimus, per eamdem gratiam, et virtutem tuam efficacem consequamur effectum: ut per tuam clementiam ab hac Peste liberati, Majestati tuae congruas referamus gratiarum actiones. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

Oratio propria super aquas infectas.

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui Jordanis flumen benedixisti, et in eodem baptizatus, Aquas mundasti, ut elementum salubre efficeretur in remissionem peccatorum; has quoque Aquas benedicere ✠, sanctificare ✠, et purificare ✠ digneris, ut nihil in iis noxium, nil pestilens remaneat, nihil inficiens, aut corrumpens, sed munda omnia efficiantur, et salubria, quatenus, et quae ad usum humanum ex iis, vel in iis creata sunt, cum promotione gloriae tuae, vitaeque nostrae, et sanitatis sumantur. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde spargat, ut supra, aquam benedictam. Possunt etiam hinc inde poni, et infigi Palmae benedictae ab Ecclesia.

§ V. *Oratio et Exorcismus contra Aves, et Vermes nocentes.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Preces nostras, quaesumus Domine, etc.
Omnipotens sempiterne Deus, etc.
Cum reliquis, ut supra pag. 299. et sequenti. Deinde aspergat aqua benedicta, et ponantur hinc inde rami Palmarum benedicti.

§ VI. *Exorcismus contra maleficia Lacticiniorum, et aliorum Comestibilium, ac Frugum. Mutatis mutandis.*

Quando Lac, Butyrum, vel alia Comestibilia maleficiata videntur, praemittat Exorcista (si judicet longiores preces adhibendas) Litanias Sanctorum omnium, quibus subjungat sequentes orationes, et reliqua.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui inter cetera dona clementiae tuae, hominibus, ad usus varios vitae mortalis, Lactis substantiam largiri dignatus es, Majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut Lactis hujus substantiam sic bene ✠ dicere di-

gneris, ut et servis tuis feliciter, et copiose proveniat, et quisquis illo deinde ad alimentum suum, vel ad aliam vitae hujus commoditatem, uti voluerit, gratiam tuam, et benedictionem sibi gaudeat adfuisse. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, cui Creaturarum tuarum bonitas placet, quique, abundantia pietatis tuae, fideles per Prophetam tuum ad comedendum pinguia invitare dignatus es, atque inter alias Creaturas pinguedinis tuae participes, Butyro tantam dignitatem tribuisti, ut non modo illud hominibus omnis generis, sed Unigenito etiam Filio tuo, pro salute nostra de purissima Virgine Incarnato, in cibum, et alimentum servire volueris, clementiam tuam humiliter imploramus, ut a substantia Butyri hujus vim omnem, fraudemque virulenti hostis benignus avertas: nihil hic nocumenti, nihil mortiferae corruptionis inferre praesumat, sed quod fidelibus tuis ad humanae indigentiae remedium contulisti, integrum illis, inviolatum, ac incorruptum servetur, ut cum digna gratiarum actione sumentes, vitae suae, ac sanitati prodesse sentiant, ac laetentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS

Omnipotens, et misericors Deus, qui Sacerdotibus, et Ministris tuis prae ceteris tantam gratiam conferre dignatus es, ut quidquid in nomine tuo per eos agitur, a te fieri credatur; quae-

sumus immensam clementiam tuam, ut quidquid ego, licet indignus, modo visito, visitare, quidquid benedico, benedicere digneris: et ad introitum méae humilitatis, omnium Sanctorum meritis Daemones fugentur, et expellantur ab hac domo, et ab his Creaturis tuis ad hominum usum a te relictis, et destinatis: cessent, et tollantur omnes nequitiae, et fascinationes eorum; et Angelus pacis, et salutis hic adsit, qui eos compescat, et hinc discedere cogat cum omnibus maleficiis suis. Per Christum, etc. ℟. Amen.

Deinde legat Evangelium S. Joannis.

In principio erat verbum; etc. *ut supra pag.* 208. ℟. Laus tibi Christe. *Aspergatur aqua benedicta.*

§ VII. *Exorcismus pro Lacte maleficiato.*

Ecce Crucem ✝ Domini, fugite partes adversae, vicit Leo de Tribu Juda, Radix David.

Exorcizo te Creatura Lactis in Nomine Dei Pa✝tris omnipotentis, in Nomine Jesu Christi ✝ Filii ejus Domini nostri, et in virtute Spiritus ✝ Sancti, ut fias Lac exorcizatum in salutem fidelium; et sis omnibus ex te sumentibus sanitas animae, et corporis, et effugiat, atque discedat a te nequitia omnis, ac versutia diabolicae fraudis, omnisque nocendi facultas in te quovis modo per ministros sathanicos introducta. Per eum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Alius Exorcismus.

Exorcizo ✝ te per illum, qui Sanctis Patribus, Abraham, Isaac, et Jacob, Terram Lacte, et Melle manantem repromisit: eamdemque terram posteris eorum fideliter tradidit possidendam: ne ejusdem Dei, et Domini nostri fidelibus Servis sis mali alicujus, nocumenti, morbi, infirmitatis, moeroris, aut noxietatis occasio. Per eum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen. *Aspergatur*, *etc.*

§ VIII. *Alius Exorcismus contra invisibilem Lactis, Butyri, vel aliarum rerum, per incantationes oblationem.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui ad servandam inter homines pacem, furtum facere, et rem proximi concupiscere prohibuisti; obsecramus clementiam tuam, ut omnes, qui quod injuste concupiscunt, Daemonis adjutorio proximis suis auferre nitentur, dexterae tuae virtute coerceas, et hisce Famulis tuis, qui concessis a te vitae suae subsidiis ad honorem tuum frui desiderant, Sanctorum Angelorum concede praesidium, qui Daemonum potestate repressa, maleficos injustorum hominum conatus, quos eorum adjumento perficiendos existimant, irritos reddant, et frustraneos. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

EXORCISMUS

Exorcizo † te, immunde Spiritus, qui ad turbandam Christianorum quietem, et ad injurias in donis temporalibus inferendas, hominibus tua fraude deceptis, auxilium praebes; per judicem vivorum, et mortuorum, ut ab hac Domo, et Familia, omnibusque ad eam pertinentibus recedas, nec quidquam eorum, quae ad illam spectant, attingere, vel auferre praesumas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcizo ✠ te, immunde Spiritus, per aeternam Dei justitiam, ex qua lex illa, qua suum cuique dandum esse statuitur, emanavit, ut omnibus promissionibus, pactis, artibus, signisque, quibus te quasi adstrictum, et obligatum simulas, dissipatis, divinae severitatis in te exercendae formidine omnia, quae hujus Familiae sunt, salva, et intacta dimittas. Recede ergo hinc divinae legis transgressor, hominumque perturbator, et Angelis sanctis, quorum tutelae Familia ista commissa est, te propellentibus, fuge, nec eam in sua quiete, ac bonis laedere, aut ulterius molestare praesumas, invocato contra tuam malitiam Nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

§ IX. *Exorcismus contra imminentem tempestatem Tonitruorum, Fulminum, Grandinum, Ventorum, etc.*

Per Signum † Crucis de inimicis nostris libera

nos Deus noster. In nomine Pa✝tris, et Fi✝li et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Dicitur Simbolum fidei, *scilicet* Credo in De um etc. *Deinde* Kyrie elison, Christe eleison Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Adjutorium nostrum, etc.
℟. Qui fecit Caelum, et Terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc, nunc, et usque in saeculum.
℣. Exurgat Deus, et dissipentur inimici eju
℟. Et fugiant, qui oderunt eum, a facie eju
℣. Exurge, Christe, et adjuva nos.
℟. Et libera nos propter nomen tuum.
℣. Domine exaudi etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine, Jesu Christe, qui fecisti Caelum, Terram, Mare, et omnia, quae in eis sunt; qu que flumini Jordani benedixisti, atque in eo b ptizari voluisti, et tuas Sanctissimas manus, brachia Sanctissima in Cruce ✠ extendisti, qu bus Aerem sanctificasti; obsecramus immensa pietatis, et bonitatis tuae abundantiam, quaten has nubes, quas ante me, et post me, et sup me, a dextris, et a sinistris video Aerem pertu bare, dissolvere et annihilare digneris, ut al gata potestas Daemonum impie desaevientium d ficiat, et turbetur, ad laudem tui Sanctissimi N minis, et potentissimae Majestatis. Qui vivis, regnas, etc.

Postea conversus ad Nubes signet eas Signo sanctae Crucis, dicens :

Circumdet te Nubes, Deus Pater ✠. Circumdet te Deus Filius ✠. Circumdet te Deus Spiritus ✠Sactus. Destruat te Deus ✠ Pater. Destruat te Deus ✠ Filius. Destruat te Deus Spiritus✠Sanctus. Comprimat te Deus ✠ Pater. Comprimat te Deus ✠Filius. Comprimat te Deus Spiritus ✠ Sanctus. Amen.

Obsecratio.

Sancti Matthaeus, Marcus, Lucas, Joannes Evangelistae, qui Christi Evangelium per quatuor Mundi partes divulgarunt, ipsis suis meritis, et precibus hanc tempestatem a termino isto, et ab omnibus Christianorum finibus ab eodem Domino nostro Jesu Christo removeri obtineant, et depelli. ℟. Amen.

EXORCISMUS

Et ego peccator, et Christi Sacerdos, seu minister indignus, auctoritate, et virtute ejusdem Dei, et Domini nostri Jesu Christi summi Imperatoris; non meae potentiae innixus, et confisus, vobis praecipio, immundissimi Spiritus, qui has Nubes, seu Nebulas concitatis, in virtute ejusdem Dei, et Domini nostri Jesu Christi †, per Sanctissimam ejusdem Incarnationem, per Sanctam Nativitatem, per Baptismum, et Jejunium ipsius, per ejus Sanctissimam Crucem ✠, et Passionem, per Sanctam Resurrectionem, per admirabilem Ascensionem, per tremendum Adventum ejus ad judicium, per merita intemeratae, semperque VIRGINIS MARIAE, et Sanctissimi N. et merita omnium Sanctorum, ut exea-

tis ab eis, et eas dispergatis in locis silvestribus, et incultis, quatenus nocere non possint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arboribus, aut quibuscumque rebus humanis usibus deputatis. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

✠ Ipse vobis imperat, Daemones, qui has nubes commovetis, de quo in nube lucida dictum est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. ✠ ipse vobis imperat, qui sua sacratissima Cruce, et corporis sui sanctissima in ea extensione Aerem purgavit. ✠ Ipse vobis imperat qui per mortem suam vos, principem vestrum, mortemque devicit, et ligavit, atque aeternae gehennae mancipavit ignibus. ✠ Ipse vobis imperat, qui, inferno spoliato, surrexit a mortuis. ✠ Ipse vobis imperat, qui post quadraginta dies Nube susceptus virtute sua ascendit in Caelum. ✠ Ipse vobis imperat, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Et postea ostendat Crucem in Aere dicens:

Ecce lignum Sanctissimae Crucis, fugite partes adversae, vicit enim vos, et mundum Dominus noster Jesus Christus Filius Dei, Imperator summus, Leo de tribu Juda, radix David.

Postea aquam benedictam in modum Crucis spargat per quatuor latera. Et, si nondum quievit tempestas, legantur flexis genibus Litaniae omnium Sanctorum, cum subsequentibus orationibus.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, quaesumus, ut desideratam nobis tuae propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris.

Omnes Sancti tui, quaesumus Domine, nos ubique adjuvent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam.

A Domo tua, quaesumus Domine, spiritales nequitiae repellantur, et Aerearum discedat malignitas Tempestatum.

Ad te nos, Domine, clamantes exaudi, et Aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus: ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua praeveniente clementiam sentiamus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos, castigando sanas, et ignoscendo conservas, praesta supplicibus tuis, ut Aeris tranquillitate donô tuae pietatis utamur, et misericordiae tuae consolatione laetemur. Per Dominum nostrum etc.
℟. Amen.

Surgens Sacerdos ab oratione aspergat, ut supra, aqua, et legat sequentia.

Lectio Libri Apocalypsis Beati Joannis Apostoli.

Post haec vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terrae, tenentes quatuor ventos terrae, ne starent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis habentem

Signum Dei vivi. Et clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terrae, et mari, dicens: Nolite nocere terrae, et mari, neque arboribus, quoadusque signemus Servos Dei nostri in frontibus eorum. Tu autem Domine miserere nobis.

℟. Deo gratias.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

✠ *Initium sancti Evangelii secundum Matthaeum.*

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Vespere autem facto, solus Jesus erat ibi: navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare. Et videntes eum super mare ambulantem turbati sunt, dicentes: quia phantasma est: et prae timore clamaverunt. Statimque Jesus locutus est eis, dicens; habete fiduciam. Ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni: Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. Videns verò ventum validum, timuit, et cum coepisset mergi, clamavit, dicens: Domine, salvum me fac. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit illum, et ait illi: Modicae fidei quare dubitasti? Et cum ascendisset in naviculam cessavit ventus. Qui au-

tem in navicula erant, venerunt, et adoraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es.

℟. Laus tibi Christe.

Deinde librum osculatur, et dicit:

Per evangelica dicta impediantur, et dissipentur omnia Diabolica facta. ℟. Amen.

Ex psalm. 17.

In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi.

Et exaudivit de Templo Sancto suo vocem meam; et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.

Commota est, et contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis.

Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo.

Inclinavit caelos, et descendit: et caligo sub pedibus ejus.

Et ascendit super Cherubim, et volavit: volavit super pennas ventorum.

Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus: tenebrosa aqua in nubibus aeris.

Prae fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando, et carbones ignis.

Et intonuit de caelo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam: grando, et carbones ignis.

Et misit sagittas suas, et dissipavit eos: fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.

Et apparuerunt fontes aquarum; et revelata sunt fundamenta orbis terrarum.

Ab increpatione tua Domine: ab inspiratio
spiritus irae tuae.

Misit de summo, et accepit me, et assump
me de aquis multis.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis: et a
his, qui oderunt me, quoniam confortati su
super me.

Ex psalmo 76.

Notam fecisti in populis virtutem tuam: re
demisti in brachio tuo populum tuum, filios Ja
cob, et Joseph.

Viderunt te aquae, Deus, viderunt te aquae
et timuerunt, et turbatae sunt abyssi.

Multitudo sonitus aquarum, vocem dederu
nubes.

Etenim sagittae tuae transeunt, vox tonitr
tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuae orbi terrae: com
mota est, et contremuit terra.

Ex psalmo 88.

Confitebuntur Caeli mirabilia tua, Domine: et
nim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum.

Quoniam quis in nubibus aequabitur Domin
Similis erit Deo in filiis Dei.

Domine Deus virtutum, quis similis tibi? p
tens es, Domine, et veritas tua in circuitu tu

Tu dominaris potestati maris, motum aute
fluctuum ejus tu mitigas.

Tu sunt Caeli, et tua est terra, orbem terrae, et plenitudinem ejus tu fundasti: Aquilonem, et mare tu creasti.

Nihil proficiet inimicus in nobis, et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Ex psalmo 106.

Dixit, et stetit Spiritus procellae: et exaltati sunt fluctus ejus.

Et statuit procellam ejus in auram; et siluerunt fluctus eius.

Et laetati sunt, quia siluerunt: et deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.

Exaltent eum in Ecclesia plebis: et in cathedra seniorum laudent eum.

Gloria Patri, etc.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus, qui in Majestate tua ascendis super Cherubim, et ambulas super pennas ventorum: quique ponis tenebras latibulum tuum in circuitu tuo, et tabernaculum tuum tenebrosam aquam in nubibus aeris, miserere nostri, miserere nostri. Placare Domine, parce populo tuo, et Aerearum, quaesumus, discedat malignitas tempestatum, ut sicut juste pro peccatis nostris periculo mali imminentis affligimur, ita misericordia

tua praeveniente, clementiam sentiamus. Et forsitan opera Daemonum haec concitatur in tu rum fidelium detrimentum; intona, quaesum de caelo, Altissime; da contra spiritualem n quitiam vocem tuam; grandinem, et carbon ignis, fulgura, et coruscationem dissipa, emitte sagittas tuas, et conturba eos, ut cogn scamus omnes te Rectorem omnium esse, q rerum vices ineffabili tua Providentia tempera ℟. Amen.

EXORCISMUS

Exorcizo vos scelestissimos Daemones, qui n turalia principia, et aereas impressiones, ex q bus mortalibus omnibus diversimoda benefi operatur Deus, ausi estis in consummationem r quitiae vestrae convertere in ventos concitant vapores congregantes, nubes componentes, fu mina, et tonitrua excitantes per Deum ✠ P trem omnipotentem, per Dominum Jesum Chi stum ✠ Filium ejus Unigenitum, et per Spir tum ✠ Sanctum Dominum, et vivificantem, q ex Patre, Filioque procedit. ✠ Exorcizo v per gloriosam Virginem Mariam, stellam mar tranquillitatem, et serenitatem inducentem.

Exorcizo denique vos per omnes illos, pra sertim S. Patronum nostrum N. in quibus Dc mirabilis, et gloriosus apparet, ut a comm venda hac Tempestate desistatis, nec ampli terrae fructibus, multo minus hominibus noce tis. Per Dominum nostrum Jesum Christum, q venturus est judicare vivos, et mortuos, et s culum per ignem. ℟. Amen.

Alia adjuratio.

Sanctus Matthaeus †, S. Marcus, † S. Lucas †, S. Joannes † Evangelistae, qui Christi Evangelium per quatuor Mundi partes divulgaverunt, ipsi suis meritis, et precibus hanc Tempestatem ab omnibus Christianorum finibus, ab eodem Domino nostro Jesu Christo obtineant effugari, et depelli. Et ego indignus Christi Sacerdos, auctoritate, et virtute ejusdem Dei; et Domini nostri Jesu Christi, summi Imperatoris, vobis praecipio, immundissimi Spiritus, si qui has Tempestates concitatis, per tremendum ejus judicium, et per Sanctissimae Crucis † Signum, quod vobis oppono, et per merita intemeratae semper Virginis Mariae Dei Genitricis, et per merita omnium Sanctorum, ut desinatis nocere hominibus, ceterisque rebus humano usui concessis; ut Tempestates a vobis concitatae dispergantur in locis silvestribus absque hominis, aut jumenti alicujus, aut fructuum terrae nocumento. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Alia adjuratio.

Adjuro vos, impii daemones, per Deum omnipotentem †, qui populum Israelem praecedebat ad ostendendam viam per diem in columna nubis; montemque Sina sex diebus nube texit, cujus gloria impletum est tabernaculum testimonii opertum nube; qui in nube posuit arcum foederis sui; cujus vox in nube audita est: Hic

est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: et per Jesum Christum Dominum nostrum, quem nubes suscepit ab oculis Apostolorum, quando ascendit in Caelum: qui in nubibus veniet ad judicandum vivos, et mortuos, quando etiam in nubibus rapientur justi obviam Christo; per eum, inquam, qui haec, et alia mirabilia valde operatus est in nubibus, adjuro vos, ne his Creaturis servientibus Deo, et hominibus, abutamini ad inferendum nocumentum alicui creaturae. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si tempus tempestuosum adhuc permanserit, poterunt supradicta pluries repeti. Debent etiam statim ab initio, ut moris est, campanae pulsari. Vide alias Conjurationes Tit. IV. § 4. et 5. pag. 299. et sequentibus.

Exorcismus contra ignem.

Sacerdos indutus Stola violacea (si publice, si vero privatim, sine Stola) stans versus Ignem, spargat aquam benedictam contra flammam, ter dicens:

In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

℣. Adjutorium, etc.
℟. Qui fecit, etc.
℣. Domine exaudi, etc.
℟. Et clamor, etc.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS

Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam conferre dignatus es, ut quidquid in tuo nomine digne, perfecteque ab eis agitur, à te fieri credatur, quaesumus immensam clementiam tuam, ut per virtutem Divinitatis, et omnipotentiae tuae, et per virtutem bene✝dictionis Sacerdotalis hunc noxium Ignem extinguere, et plebem tuam ab imminenti damno liberare digneris. Per Christum etc.

Aspergat iterum aquà contra Ignem, deinde exorcizet eum, dicens:

Exorcizo te, Creatura Ignis, in nomine Dei Patris ✝ omnipotentis, et in nomine Jesu-Christi ✝ Filii ejus Domini nostri, et in virtute Spiritus ✝ Sancti, ut extinguaris, et dissiperis, et ad nihilum reducaris. Audi ergo, Ignis, adjurare per nomen D. N. J. C. et protinus recede de loco isto, et non praesumas ultra nocere homini, aut jumento, aut cuicumque rei ad usus hominum procreatae: Nam ego Sacerdos Dei, licet indignus virtute Ordinis Sacerdotalis, praecipio tibi, ut quantocius pro gloria Dei, et Sanctorum ejus vim tuam amittas, et in temetipso consumeris. Per eum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Iterum aspergat aqua benedicta: Deinde dicat:

Extinguat te, Ignis, Deus ✝ Pater, extinguat te, Deus ✝ Filius, extinguat te Deus Spiritus ✝ Sanctus: destruat te, Ignis, Deus ✝

Pater: destruat te Deus † Filius, destruat te Deus Spiritus † Sanctus: annihilet te, Ignis, Deus † Pater, annihilet te Deus † Filius, annihilet te, Deus Spiritus † Sanctus. Amen.

Iterum aspergat, et dicat:

Sanctus Matthaeus, S. Marcus, S. Lucas, et S. Joannes, qui Christi Evangelium per quatuor Mundi partes divulgarunt, ipsi suis meritis, et precibus hunc Ignem a termino isto, et ab omnibus Christianorum finibus in quatuor Mundi partes sine damno fidelium ab eodem Domino nostro Jesu Christo removeri, et expelli obtineant.

EXORCISMUS

Et ego Christi Sacerdos, et Minister, licet peccator maximus, non meis meritis et potentiae innixus, sed meritis et potentiae D. N. J. C. confisus praecipio vobis, immundissimi Spiritus, si forte per vos ipsos, seu per vestros ministros, aut quocumque modo hunc Ignem excitatis, ut eumdem protinus extinguatis, et ad nihilum redigatis. Et hoc ipsum praecipio vobis per ejusdem D. N. J. C. SS. Incarnationem, dulcissimam Nativitatem, sacratissimum Baptismum, strictissimum Jejunium, dolorosissimam Passionem, amarissimam Mortem, gloriosissimam Resurrectionem, gaudiosissimam Ascensionem, et tremendissimum Judicium: Nec non per merita Beatissimae V. Mariae, Ss. Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, et omnium Sanctorum, ut a-

moveatis hunc Ignem ab hoc loco, et dispergatis eum in locis incultis, ubi non possit nocere hominibus, nec animalibus, nec herbis, nec quibuscumque rebus ad humanos usus deputatis, per eumdem D. N. J. C. qui venturus est condemnare, et ad Ignem infernalem dejicere vos malignos Spiritus, et judicare saeculum per ignem. Amen.

Aspergat aqua benedicta

OREMUS

Deus infinitae Bonitatis, et Clementiae, qui cum iratus fueris, misericordiae recordaris, qui per preces Famulorum tuorum Móysis, et Aaron placatus abstulisti plagam incendii a populo tuo; exaudi preces servorum tuorum, et aufer incendium istud, quo premimur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc.

OREMUS.

Deus, qui ad ostendendam virtutem potentiae tuae, misisti Angelum tuum, qui excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis quasi ventum róris flantem: implorámus immensam Bonitatis tuae Clementiam, ut ad amplificandam gloriam Nominis tui eumdem Angelum mittere digneris, qui excutiat flammam hanc, et extinguat incendium, quod saevit in bona Servorum tuorum. Per Dominum etc.

Aspergat aqua; et projiciantur pánis, et schedulae in Festo S. Agathae benedictae in Ignem.

TITULUS VI

De variis Ritibus Ecclesiasticis.

§ I. *Ritus induendi Novitios in Ordine S. Francisci Reform.*

Superior, aut alius de ejus mandato indutus Alba, Stola, et Pluviali, pro temporis, et officii ratione convenienti, egrediatur ad Altare, cum aliis Religiosis Conventus; et stans in medio Altaris, Juvene inferioris ipsius Altaris gradu genibus flexis existente, has sequentes orationes, versa facie ad Sacramentum, dicat incipiendo absolute.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, qui a saeculi vanitate conversos ad bravium supernae vocationis accendis; et qui renunciantibus saeculo, mansiones paras in caelis; dilata cor hujus Famuli tui caelestibus donis, ut fraterna nobiscum teneatur compagine charitatis; unanimis, constans, sobrius, simplex, et quietus, regularia Sanctorum Patrum instituta custodiat, et ad eum, quem, te inspirante, perfectionis spiritum concepit, te adjuvante, perveniat. Per Christum Dominum nostrum ℟. Amen.

OREMUS

Domine Jesu Christe, Dux, Salus, et Fortitudo nostra, humiliter petimus, ut Famulum

tuum, quem sanctae compunctionis ardore ab hujus saeculi vanitate separasti, etiam a conversatione terrena discernas, et gratiam, qua in te perseveret, infundas, ut protectionis tuae praesidio munitus, quod te donante affectat, te adjutore compleat, ut suae conversionis executor effectus, ad ea, quae perseverantibus in te promittere dignatus es, feliciter pertingat. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde procedat Sacerdos ad cornu Epistolae, et ibi stans, benedicat Vestimenta, paulo ante a Sacristia, in eodem cornu, super aliquo scabello opportune, ac decenter praeparata, dicens:

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc, nunc, et usque in saeculum.

℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuae largitatis abundantiam, ut hoc genus Vestimenti, quod Ss. Patres, ad innocentiae, et humilitatis indicium, abrenunciantes huic saeculo, ferre sanxerunt: ita bene✝dicere, et sancti✝ficare digneris, ut hic Famulus tuus, qui sanctae Religionis Habitum, piae devotionis affectu, assumere intendit, te intus veraciter induere mereatur. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti

Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Super Chordam, sive Cingulum.

OREMUS

Deus, qui, ut servum redimeres, filium tuum per manus impiorum ligari voluisti, bene✝dic, quaesumus, Cingulum istud, et praesta, ut Famulus tuus, qui eo, velut ligamine poenitentiali sui corporis cingetur, vinculorum ejusdem Domini nostri Jesu Christi perpetuo memor existat, et in ordine, quem assumit, perenniter perseveret, tuisque cum effectu semper obsequiis se alligatum esse cognoscat. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟ Amen.

Quibus dictis aspergantur simul et Juvenis, et Vestimenta aqua benedicta, sive Incenso; deinde, auxiliantibus Ministris, exuatur Juvenis Saecularibus Vestimentis a Sacerdote, sive Superiore dicente:

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis. Amen.

Et ad illum postea Religionis Habitu induendum, ad singula vestimenta dicat.

Ad Tunicam.

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in Justitia, et Sanctitate veritatis. ℟. Amen.

Ad Habitum.

Domine Jesu Christe, qui dixisti, Jugum meum suave est, et onus meum leve, praesta, quaesumus, ut hic Famulus tuus sic istud deportare valeat, ut possit consequi tuam gratiam in prae-

senti, et gloriam in futuro. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ad Capucium.

Pone, Domine, Capucium salutis in capite ejus, ad expugnandas diabolicas fraudes. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ad Chordam.

Praecingat te Dominus Cingulo puritatis, et extinguat in lumbis tuis humorem libidinis, ut maneat in te virtus continentiae, et castitatis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quo induto, porrigat ipsi Candelam accensam, dicens :

Accipe, Frater charissime, lumen Christi, in signum immortalitatis tuae, ut mortuus mundo Deo vivas. Exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. ℟. Amen.

Postea vertat se Sacerdos ad Sacramentum. Et Novitio existente in inferiori gradu genuflexo, dicat clara voce :

℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Majestatem tuam, Domine, suppliciter exora-

mus, ut Famulum tuum, cui, de tua gratia praesumentes, nostrae Religionis Habitum imposuimus, digneris inter discipulos tuos virtute ex alto induere, Justitiae lorica munire, et salutis protegere Vestimento, ut intercedente B. Francisco Confessore tuo, sub humilitatis Veste tibi perseveranter deserviens, ad Stolam immortalitatis, et gloriae pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui Beato Petro Apostolo tuo, significans, qua morte glorificaturus esset Deum, praedixisti, per alium in senectute ipsum fore cingendum; Famulum tuum ✠ Fratrem nostrum, quem Cingulo nostrae Fraternitatis praecinximus, tua, quaesumus, charitate praecinge, tui nominis metu salutari constringe, et Chorda cor ejus regulari alliga disciplinae: ut tua ei opitulante gratia, solutus, et liberatus a Mundo, tuoque vinctus servitio, in Ordinis, quem assumit, observantia, usque in fine jugiter perseveret. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

OREMUS

Deus, qui mira Crucis Mysteria in B. Francisco Confessore tuo multiformiter demonstrasti; da huic Famulo tuo, ejus piae devotionis semper exempla sectari, et assidua ejusdem Crucis meditatione muniri. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quibus dictis Sacerdos in medio Altaris genua flectendo intonabit, *Veni Creator Spiritus*, *etc.* ut

supra pag. 73. qui dum a Religiosis alternatim cantatur, omnes Fratres ad medium Altaris procedentes coram Venerabili Sacramento genua flectant, ac deinde Novitium in infimo altaris gradu, genibus flexis existentem, ad Sanctae pacis osculum recipientes, singuli dicant. *Pax tibi Frater.* Moxque singuli in suum locum sese recipiant; et completo Hymno, statim sequentes versus canantur a Cantoribus respondentibus aliis.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

℣. Ora pro nobis, B. P. Francisce.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Deinde Sacerdos cantet:

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere, et gloriosa B. Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Deus, qui Ecclesiam B. Francisci meritis, foetu novae prolis amplificas, tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, et caelestium do-

norum semper participatione gaudere. Per Dominum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

Cantores cantent.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

Postea Sacerdos benedicat Novitium, et Adstantes, dicens:

Benedicat vos omnipotens Deus ✝ Pater, et Filius ✝, et Spiritus ✝ Sanctus. ℟. Amen.

Desuper habeatur sermo actioni conveniens, ad Decretorum praescriptum. Quo finito, et Novitio nomine imposito, quod Sanctorum sit, ut hac pia, salutari, et perpetua sui nominis recordatione salutariter excitatus, cujus nomen gerit, ejus virtutes, pios mores, et egregia facta, studiose quidem, ac sancte imitetur, et demum Benedictione adstantibus data, Novitiorum Magister Novitium ad barbitonsorem deducat, ut Religioso more juxta barbatam Religionis consuetudinem, ei clericalis corona, vel laicalis circulus apte fiat.

Quo autem die quisque Religionis Habitum susceperit, memoria fiat in libro, ad hoc specialiter ordinato, ac propterea Provincialis admoneatur, ut ejus jussu singula referantur in librum, in Provinciali Archivio perpetuo servandum.

§ II. *Ritus recipiendi Novitios ad Professionem in Ordine S. Francisci Refor.*

Primo Superior, vel alius de ejus mandato

indutus Alba, Stola, et Pluviali pro temporis, et officii ratione convenienti, egrediatur ad Altare una cum Religiosis Conventus, et in sella opportuno loco coram Altare sedeat. Deinde Magister novitiorum illuc Novitium ad Professionem admittendum religiose deducat: quo cum pervenerit, Novitium ipsum ante pedes Superioris statuat genuflexum: Novitium autem superior interrogabit de seria intentione profitendi, et an libere profiteatur, et an sciat Regulam S. Francisci, et ejus rigorem: Et an nullum habeat impedimentum Professionis emittendae. Et si ad opportunas has interrogationes recte responderit, mox de sede ipsa, pio, ac brevi sermone poterit, et gravitatem, et pietatem, et magnitudinem actionis illius, et ipsi profitenti, et reliquis adstantibus significare.

Quo finito, Superior surgens, et genua flectens, solus clara voce intonabit, *Veni Creator Spiritus, etc.* ut supra pag. 73. quo, alternantibus Choris, finito Superior dicat:

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

OREMUS

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde Superior iterum sedeat, moxque Novitius ante pedes ejus genuflexus positis manibus

ejus inter manus ipsum ad professionem admittentis; clara, et intelligibili voce dicat haec verba, vel a superiore primum dicta, ipse eodem modo, ac ordine repetat, vel etiam de scripto legat, prout opportunius videbitur.

Forma Professionis in Ordine Fratrum Minorum S. Francisci Ref. solemniter emittendae.

Ego Frater NN. voveo, et promitto Deo omnipotenti, Beatae Mariae semper Virgini, Beato Francisco, et omnibus Sanctis, et tibi Pater, toto tempore vitae meae servare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate.

Recipiens vero ad Professionem, ei dicat:

Et ego ex parte Dei, si haec observaveris, promitto tibi vitam aeternam. Amen.

Quibus dictis, statim Cantores cantabunt in sexto Tono Psalmum Ecce quam bonum, et quam jucundum etc. *ut supra pag.* 71. *Et interim Superior amovebit, et abscindet a Novitii. Capucio probationis Signum panneum. Finito Psalmo, Cantores cantent sequentem Versiculum:*

℣. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.

OREMUS

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Deus, qui per coaeternum Filium tuum cuncta creasti, quique mundum peccatis inveteratum, per mysterium Incarnationis ejus, renovare dignatus es; te supplices exoramus, ut supra hunc Famulum tuum, Fratrem nostrum N. qui hodie in hoc sancto Templo tuo, vanitatem Mundi, et pompas Diaboli per nostrae servitutis ministerium, voto solemni abrenunciare decrevit, ita respicere digneris; ut Spiritu mentis suae renovatus, veterem hominem cum actibus suis exuere, et novum, qui secundum Deum creatus est, induere mereatur. Per eumdem, etc. ℟. Amen.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui es Via, sine qua nemo vadit ad Patrem, quaesumus clementiam tuam, ut hunc Famulum tuum a carnalibus desideriis abstractum, per arctam, ac tutam Regularis disciplinae viam deducas; et qui peccatores vocare dignatus es, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos; praesta, ut haec vox vocationis tuae, ita in eo convalescat, quatenus onera peccatorum deponens, et quam dulcis es, degustans, tua refectione sustentari mereatur. Qui vivis, etc. ℟. Amen.

OREMUS

Sancte Spiritus, qui te Deum, ac Dominum mortalibus revelare dignatus es, immensam tuae pietatis abundantiam suppliciter exoramus, ut, sicut ubi vis spiras; sic et huic Famulo tuo Fratri nostro N. affectum piae devotionis inspires,

et qui tua sapientia est conditus, tua quoque providentia gubernetur; quem etiam unctio tua de omnibus doceat per intercessionem Beatae Virginis Mariae, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, Beati Patris nostri S. Francisci, ac Beati N. et omnium Sanctorum, fac eum a saeculi vanitate ita veraciter converti, ut quod hodie, te inspirante, inchoat, sic juste, pie, ac sancte per veram humilitatem, et obedientiam, fraterna charitate fundatus, te adjuvante perficiat, ut in sancto Religionis proposito jugiter perseverans, ad vitam perveniat sempiternam. Qui cum Deo Patre, et Filio ejus, Domino nostro Jesu Christo, vivis, et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Quibus dictis, Cantores intonabunt: *Te Deum Laudamus*, *etc.* Et per claustrum ordine procedentes ad Ecclesiam revertentur. Finito vero Hymno, Cantores sequentes versus cantabunt.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

℣. Ora pro nobis Beate P. Francisce.

℟. Ut digni efficiamur, etc.

Deinde Sacerdos dicat, sive cantet, sequentes Orationes; OREMUS

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus Sancti, quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Concede nos Famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere; et gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Deus, qui Ecclesiam tuam, B. Francisci meritis, foetu novae prolis amplificas, tribue nobis ejus imitatione terrena despicere, et Caelestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

Cantores.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Postea Superior, et Professum, et Adstantes benedicat, dicens:

Benedicat vos omnipotens Deus Pater ✝, et Filius ✝, et Spiritus ✝ Sanctus. Amen.

His omnibus peractis, receditur ab Altari ad Sacristiam, et Conventum. Et Superior signet memoriam hujus Actus scripto in libro ad hunc usum specialiter deputato: Profitentis nomine, cognomine, Patria, aetate, die, hora, mense, anno, in cujus item manibus, et quo loco professus est, ad Decretorum praescriptum diligenter annotatur, cui Professus ipse propria manu subscribat. Praeterea, quam primum Guardianus Provincialem admoneat, (si absens fuerit,) ut singula referantur in librum Provinciae, ut supra, perpetuo servandum.

§ III. *Ritus induendi Pueros, vel puellas Habitu S. Francisci, vel S. Clarae ex voto.*

Primo benedicantur Vestimenta super aliquod Altare jacentia, modo sequenti.

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Domine exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui pro salute nostra suscipiens humanam naturam te Vestimento Carnis induere dignatus es, benedictione sancta tua bene ✠ dic ista parvula Vestimenta, quae pro gratiis tibi exsolvendis cum omni devotione, Sanctoque voto, ac veneratione Beatissimae Virginis Mariae, et Sancti P. Francisci, infans iste super se suscepturus est. Infunde in eum, quaesumus, tuam Sanctam bene✠dictionem; ut cum primum induerit hoc Religioni simile Vestimentum, intercedente Beato P. Francisco, descendat super eum gratia tua, et protegat illum ab omni malo mentis, et corporis. Qui vivis et regnas, etc.

Deinde aspergantur aqua benedicta Vestimenta, et illa adoleantur incenso. Cum vero exuit eum suis Vestibus, dicat:

Psalm. 139.

Eripe me, Domine, ab homine malo: a viro iniquo eripe me.

Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me.

Gloria Patri, etc.

Postea induat eum Habitu, et Capucio, (si vero sit Puella, loco Capucii ei detur Scapulare, et Velum) dicens :

Immittat in te Dominus sanctum Religionis amorem, sanctoque fervore succendaris, et ardeas Caelestium bonorum desiderio.

Psalm. 112.

Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc, nunc, et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus, et super Caelos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat : et humilia respicit in caelo, et in terra?

Suscitans a terra inopem : et de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum Principibus: cum Principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in Domo : Matrem filiorum laetantem.

Gloria Patri, etc.

Postea cingat eum, dicendo :

Praecingat te Dominus Cingulo justitiae, ut immaculatus conserves omnia mandata sua.

Psalmus 150.

Laudate Dominum in Sanctis ejus : Laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus : laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubae : laudate eum in psalterio , et cythara.

Laudate eum in tympano , et choro : laudate eum in chordis , et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis; omnis spiritus laudet Dominum. Gloria Patri , etc.

Deinde ei det Candelam accensam , et dicat :

℣. Domine exaudi etc.

℣. Dominus vobiscum , etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe , lux vera de vero lumine ; quaesumus clementiam tuam , ut per intercessionem Beatissimi Patris Francisci , mentem Parvuli hujus illumines , ut cum ad annos discretionis pervenerit , sancte tibi anima, corporeque deserviat. Qui vivis, etc.

Postea benedicat Puerum offerendo eum super Altare dicendo :

Confirma Deus in Parvulo isto , quod in eo operari fecisti , a templo sancto tuo ; deducat eum Spiritus tuus bonus in terram rectam. Benedictio † tua sit super eum semper. Amen.

Deinde reddat illum Parentibus , et conversus ad circumstantes , dicat : Benedicat vos Divina Majestas † Pater , et Filius †, et Spiritus † Sanctus. Amen.

§. IV. *Ritus exuendi eosdem Pueros ex Voto indutos.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Domine exaudi etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, a quo descendit omne bonum, et omne donum, tibi gratias referimus, et expleta vota reddimus: suscipe vota nostra, cum gratiarum actionibus, et intercedente B. Maria Virgine, Sanctoque P. Francisco, huic Parvulo de cetero praesta sanitatem mentis, et corporis, ut te Creatorem recta fide colat, in te Redemptorem spem suam confirmet, teque summum bonum super omnia diligat, atque sanctis mandatis tuis semper obediat. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

Deinde habitum exuendo, dicat: Reddite vota vestra Deo cum actibus suis.

Psalmus 116.

Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus; et veritas Domini manet in aeternum. Gloria Patri, etc.

Deinde deponat Habitum super Altare, et dicat:
℣. Domine exaudi etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Suscipe, Sancte Pater omnipotens aeterne Deus, vota, precesque supplicum, et per intercessionem Beatissimae Virginis Mariae, Sanctique Patris nostri Francisci, praesta nobis, ita beneficia tua cognoscere, ut in gratiarum semper actione maneamus. Per Dominum nostrum etc.

Postea benedicat assistentes, dicens:

Benedicat vos Divina Majestas, ✠ Pater, et Filius ✠, et Spiritus ✠ Sanctus. Amen.

§. V. *Ritus induendi Fratres Tertiarios Ordinis Sancti Francisci, domi vel in claustris cum Fratribus viventes.*

Superior Regularis Ordinis S. Francisci, vel alius Delegatus ejus loco benedicat primo Vestes (quae in colore debent esse conformes Habitui Franciscano, absque tamen Capucio) ut sequitur.

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe, seminator, et inspirator religiosi propositi; quique Indumentum nostrae Carnis, pro salute generis humani misericorditer suscipere voluisti, et in prasepio vilibus pannis involvi non horruisti, respice propitius ad preces humilitatis nostrae, et has religiosas Vestes, quas hic Famulus tuus N. propter amorem tuum, abjecto Habitu saeculari

proponit induere, benedicere tua pietate digneris, et concede propitius, ut sicut exterius his Religiosis induitur Vestimentis, intus renovetur affectibus, et per intercessionem Beati Patris Francisci induere eum digneris. Qui vivis, etc.

OREMUS

Deus, qui, ut servum absolveres, Filium tuum funibus ligari voluisti, bene✝dic, quaesumus, funem istum, et praesta, ut Famulus tuus N. qui eo, velut ligamine poenitentiali cingetur, vinculorum ejusdem Filii tui D. N. J. C. memor existat, et in ordine, quem assumit, salubriter perseveret, et tuis cum effectu semper obsequiis se alligatum esse cognoscat. Per eumdem Christum, etc.

Hic Habitus, et Chorda asperguntur aqua benedicta, et induitur Habitu Benedicto a Praelato, et dicat super eum.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Majestatem tuam, Domine, suppliciter exoramus, ut Famulum tuum N. cui, de tua gratia praesumentes, nostrae Religionis Vestem imposuimus, digneris inter discipulos tuos virtute ex alto induere, justitiae lorica munire, et salutis protegere Vestimento, ut intercedente Beatissimo Patre nostro Seraphico Confessore tuo Francisco, sub humilitatis Veste tibi perseveranter deserviens, ad Stolam immortalitatis, et gloriae pervenire mereatur. Qui vivis, et regnas in saecula, etc.

Hic cingitur a Praelato, et dicitur:

OREMUS

Deus, qui Beato Petro Apostolo tuo significans, qua morte glorificaturus esset Deum, praedixisti per alium in senectute ipsum fore cingendum, Famulum tuum N. quem Cingulo nostrae Fraternitatis praecinximus, tua, quaesumus, charitate praecinge, tui nominis metu salutari constringe, et Chorda cor ejus regulari alliga disciplina, ut tua ei opitulante gratia solutus, et liberatus a Mundo, tuoque vinctus servitio, in Ordinis, quem assumit, observantia usque in finem jugiter perseveret. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Tandem super Fratrem indutum, et praecinctum dicatur: OREMUS

Deus, qui mira Crucis Mysteria, in tuo devotissimo Confessore Beato Francisco, multiformiter demonstrasti, da Famulo tuo N. ipsius semper exempla sectari, et assidua ejusdem Crucis meditatione muniri. Per Christum, etc.

§ VI. *Ritus cingendi Chordigerosi S. Francisci. Primo benedicantur Cordulae modo sequenti:*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Sit nomen Domini Benedictum.
℟. Ex hoc, nunc, et usque in saeculum.
℣. Domine exaudi etc.
℟. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, qui, ut servum solveres, Filium tuum

funibus ligari voluisti, bene✝dic quaesumus Chordam istam, et praesta, ut famulus tuus, qui ea veluti ligamine poenitentiali cingetur, vinculorum ejusdem Filii tui D. N. J. C. perpetuo memor existat, et in Confraternitate, in quam assumitur, salubriter perseverans, tuis cum effectu semper obsequiis se alligatum esse cognoscat. Per Dominum, etc.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui peccatoribus veniam, et misericordiam quaerentibus, tuae propitiationis indulgentiam tribuis: oramus immensam clementiam tuam, ut hanc Chordam bene✝dicere, et sancti✝ficare digneris, ut qui ea pro peccatis suis cinctus fuerit, et immensam pietatem tuam imploraverit, veniam, et indulgentiam tuae sanctae misericordiae consequatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Cingendo Confratrem dicat :

Praecingat te Dominus Cingulo puritatis, Confraternitatis nostrae, et extinguat in lumbis tuis humorem libidinis, ut maneat in te virtus continentiae, et castitatis. Per Christum etc. Pax tecum, etc.

§ VII. *Modus administrandi Sacramentum Baptismi Parvulis.*

Sacerdos paratis omnibus adnotatis in Rit. Rom. indutus Superpelliceo, ac Stola violacea, accedat ad limen Ecclesiae, ubi foris expectant, qui Infantem detulerunt, atque interroget (nisi

dehis bene constet) an sit suae Parochiae, masculus, an femina; an sit domi baptizatus, et a quo, et quam rite, et qui sunt Compatres, qui Infantem teneant, pro eoque respondeant; quos pie, ac decenter assistere, ac prout opus fuerit pro baptizando ad interrogationes respondere admoneat.

Et quoniam iis, qui baptizantur, tanquam Dei filiis in Christo regenerandis, et in ejus militiam adscribendis, nomen imponitur, curet ne obscoena, fabulosa, aut ridicula, vel inanium Deorum, vel impiorum Ethnicorum Hominum nomina imponantur: sed potius (quatenus fieri potest) Sanctorum; quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, et patrociniis protegantur. His igitur expeditis, et accepto nomine baptizandi, positi (si Infans fuerit) super brachium dexterum illius, qui eum defert, Sacerdos ad Baptismum procedat, in hunc modum nominatim interrogans *Sacerdos.* N. quid petis ab Ecclesia Dei?

Patrinus respondet: Fidem.

Sacerdos: Fides quid tibi praestat?

Patrinus: Vitam aeternam.

Sacerdos: Si igitur vis ad vitam ingredi, serva mandata: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et proximum tuum sicut te ipsum.

Deinde ter exsufflet leniter in faciem Infantis, et dicat semel: Exi ab eo, *vel* ab ea, immunde Spiritus, et da locum Spiritui Sancto Paraclyto.

Postea pollice faciat Signum Crucis in fronte, et in pectore Infantis, dicens:

Accipe Signum Crucis tam in fronte ✠ quam in corde ✠, sume fidem caelestium praeceptorum, et talis esto moribus, ut Templum Dei jam esse possis.

OREMUS

Preces nostras, quaesumus Domine, clementer exaudi, et hunc electum tuum N. Crucis Dominicae impressione signatum perpetua virtute custodi, ut magnitudinis gloriae tuae rudimenta servans, per custodiam mandatorum tuorum, ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde imponat manum super caput Infantis, ac dicat:

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare super hunc Famulum tuum N. quem ad rudimenta Fidei vocare dignatus es; omnem caecitatem cordis ab eo expelle, disrumpe omnes laqueos Sathanae, quibus fuerat colligatus; aperi ei, Domine, januam pietatis tuae, ut signo sapientiae tuae imbutus, omnium cupiditatum fetoribus careat, et ad suavem odorem praeceptorum tuorum laetus tibi in Ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos benedicat Salem, qui semel benedictus alias ad eumdem usum deservire potest.

Benedictio Salis.

Exorcizo te, creatura Salis, in nomine Dei Patris omnipotentis ✝, et in charitate Domini nostri Jesu Christi ✝, et in virtute Spiritus ✝ Sancti. Exorcizo te per Deum vivum ✝, per Deum verum ✝, per Deum Sanctum ✝, per Deum ✝, qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari praecepit, ut in Nomine SS. Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hanc creaturam Salis sanctificando sancti✝fices, et benedicendo bene✝dicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in Nomine ejusdem D. N. J. C., qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde mittat modicum Salis benedicti in os Infantis, dicens:

N. Accipe Salem sapientiae, propitiatio sit tibi in vitam aeternam. ℟. Amen.

Sacerdos. Pax tecum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus Patrum nostrorum, Deus universae conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc Famulum tuum N. respicere digneris propitius, et hoc primum pabulum Salis gustantem, non diutius esurire permittas, quo minus cibo expleatur caelesti: quatenus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens:

Perduc eum, Domine quaesumus, ad novae regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum aeterna praemia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Exorcizo te, immunde Spiritus, in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti, ut exeas, et recedas ab hoc Famulo Dei N. Ipse enim tibi imperat maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit, et Petro mergenti dexteram porrexit.

Ergo maledicte Diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo, et vero, da honorem Jesu Christo filio ejus, et Spiritui Sancto, et recede ab hoc Famulo Dei N. quia istum sibi Deus, et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, et benedictionem, Fontemque Baptismatis vocare dignatus est.

Hic pollice in fronte signat Infantem, dicens:

Et hoc signum Sanctae Crucis †, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte Diabole nunquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox imponit manum super caput Infantis, et dicit:

OREMUS

Æternam, ac justissimam pietatem tuam deprecor Domine Sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, auctor luminis, et veritatis, super hunc Famulum tuum N. ut digneris eum illuminare lumine intelligentiae tuae, munda eum, et san-

clifica: da ei scientiam veram, ut dignus grati Baptismi tui effectus, teneat firmam spem, con silium rectum, doctrinam Sanctam. Per Chri stum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos imponit extremam partem Sto lae super infantem, et introducit eum in Ec clesiam dicens:

N. Ingredere in templum Dei, ut habeas par tem cum Christo in vitam aeternam. Amen.

Cum fuerint Ecclesiam ingressi, Sacerdos prae cedens ad fontem cum susceptoribus conjunctim clara voce dicit: Credo in Deum Patrem etc usque in finem. Pariter Pater noster, etc. usque i finem. Ac deinde antequam accedat ad Bapti sterium dicat:

Exorcizo te, omnis Spiritus immunde, in nomi ne Dei Patris omnipotentis ✠, et in nomine Jes Christi Filii ejus Domini, et Judicis nostri ✠, e in virtute Spiritus Sancti ✠, ut discedas ab ho plasmate Dei N. quod Dominus noster ad tem plum Sanctum suum vocare dignatus est: u fiat Templum Dei vivi, et Spiritus Sanctus ha bitet in eo. Per eumdem Christum Dominum no strum, qui venturus est judicare vivos, et mor tuos, et saeculum per ignem. Amen.

Postea Sacerdos digito accipiat de saliva ori sui, et tangat aures, et nares Infantis, tan gendo vero aurem dexteram, et sinistram dicat

Epheta quod est adaperire. *Deinde tangat na res dicens*: In odorem suavitatis. Tu autem ef fugare, diabole; appropinquabit enim judi cium Dei.

Postea interroget Baptizandum nominatim dicens

Sacerdos N. Abrenuncias Sathanae ?

Patrinus. Abrenuncio.

Sac. Et omnibus operibus ejus ?

Patrinus. Abrenuncio.

Sac. Et omnibus pompis ejus ?

Patrinus. Abrenuncio.

Deinde Sacerdos intingit pollicem in Olio Catechumenorum, et infantem ungit in pectore, et inter scapulas in modum Crucis, dicens:

Ego te linio † Oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro, ut habeas vitam aeternam. ℟. Amen.

Hic deponit Stolam Violaceam, et sumit aliam albi coloris. Subinde pollice inuncta loca abstergit lana Bombycina, vel simili re: et interrogat expresse nomine Baptizandum, Patrino respondente.

Sac. N. Credis in Deum Patrem omnipotentem Creatorem Caeli, et terrae?

Patri. Credo.

Sac. Credis in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum et passum ?

Patrinc. Credo.

Sac. Credis in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum Communionem, Remissionem peccatorum, Carnis Resurrectionem, Vitam aeternam ?

Patrin. Credo.

Sac. N. Vis Baptizari ?

Patrin. Volo.

Tunc Patrino, vel Matrina, vel utroque (si ambo admittantur) infantem tenente, Sacerdos vasculo seu urceolo accipit Aquam Baptismalem, et de ea ter fundit supra caput Infantis in modum Crucis, et simul verba proferens, semel tantum distincte, et attente dicit:

N. Ego te Baptizo in nomine Patris ✝ (*fundat primo*), et Filii ✝ (*fundat secundo*), et Spiritus ✝ Sancti (*fundat tertio*).

Mox Patrinus, vel Matrina, vel uterque simul Infantem de sacro fonte levant, suscipientes illum de manu Sacerdotis.

Si vero dubitatur, an infans fuerit baptizatus, utatur hac forma. N. si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris ✝, et Filii ✝, et Spiritus ✝ Sancti.

Deinde intingit pollicem in sacro Chrismate, et ungit Infantem in summitate capitis in modum Crucis, dicens: Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex Aqua, et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum (*hic inungit*), ipse te liniat Chrismate salutis ✝ in eodem Christo. Jesu Domino nostro in vitam aeternam. ℟. Amen.

Sacerdos. Pax tibi.

℟. Et cum spiritu tuo.

Tunc lana bombycina, aut re simili, abstergit pollicem suum, et locum inunctum, et imponit capiti ejus linteolum candidum loco vestis albae, dicens:

Accipe Vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam aeternam. ℟. Amen.

Postea dat ei, vel Patrino Candelam accensam dicens:

Accipe Lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum: serva Dei mandata, ut, cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei una cum omnibus Sanctis in aula Caelesti, habeasque vitam aeternam, et vivas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postremo dicit: N. vade in pace, et Dominus sit tecum. ℟. Amen.

MODUS ADMINISTRANDI SACRAMENTUM POENITENTIAE

Confessarius debita instructus potestate, sciet, a quibus, quando, vel ubi possit absolvere: in mortis autem periculo constitutus infirmus, absolvendus est ab omnibus censuris, et peccatis, licet reservatis, (cessat enim tunc omnis reservatio), sed prius si potest, cui debet, satisfaciat; at si periculum evaserit, Superiori se sistat, a quo alias erat absolvendus, quidquid debet, praestiturus. Quod si inter confitendum, vel antequam confiteri incipiat, vox Ægri deficiat, tunc nutibus signisve si potest, peccata cognoscat: quibus utcumque in genere, vel in specie cognitis, vel si desiderium per alios ostenderit, absolvendus est.

Absolutionis forma

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimi sis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam ℟. Amen.

Tum dextera versus poenitentem elevata, dicit

Indulgentiam, absolutionem, et remissione peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinc lo excommunicationis, suspensionis, et interd cti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde eg te absolvo a peccatis tuis in Nomine Patris †, Filii †, et Spiritus † Sancti. Amen.

Si poenitens sit Laicus, omittitur verbum Sus pensionis.

Passio Domini nostri JESU Christi, merit B. MARIAE Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, s tibi in remissionem peccatorum, augmentum gr tiae, et praemium vitae aeternae. Amen.

Urgente necessitate, et mortis periculo suffi dicere:

Ego te absolvo ab omnibus censuris, et pec catis, in nomine Patris †, et Filii †, et Spi ritus † Sancti. Amen.

Absolutio ab Excommunicatione in foro ex teriori.

Haec potestas Sacerdoti commissa sub form certa, ea omnino servanda est; at si in man dato dicatur: *absolvat in forma Ecclesiae con*

sucta, hanc servabit. 1. Excommunicatus laeso satisfaciat tunc, si potest; sin, cautionem praebeat: hanc si nequit, juret cum primum poterit, se satisfacturum. 2. Si crimen sit grave, juret se Ecclesiae mandato pariturum, et curaturum, ne deinceps contra hunc Canonem delinquat.

Tum sedens, Poenitentem contra se genuflexum, in humero (si vir fuerit) usque ad camisiam denudato, virga, aut funiculis percutit, dicendo Psalm. *Miserere*, cum *Gloria Patri*, *etc.* Deinde surgens aperto capite dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* Ancillam tuam) Domine.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS

Deus, cui proprium est misereri semper, et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc Famulum tuum, quem Excommunicationis

sententia constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox sedet, et cooperto capite dicit :

Dominus Jesus Christus, te absolvat, et ego auctoritate ipsius, et Sanctissimi Domini nostri, (*vel*, Reverendissimi Episcopi N. *vel* talis Superioris) mihi concessa, absolvo te a vinculis Excommunicationis, in quam incurristi, (*vel* incurrisse declaratus es) propter tale factum, vel causam, etc. Et restituo te communioni, et unitati Fidelium, et Sacramentis Ecclesiae. In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus Sancti. Amen.

In foro interiori absolvit forma communi, ut supra.

Excommunicatus, dato contritionis signo, decedens, ne careat sepultura, si corpus necdum sepultum fuerit, verberetur, et absolvatur, ut infra, et in loco sacro sepeliatur : Si in loco profano est sepultum, exhumetur, si commode fieri potest, et sic verberatum, absolutumque in sacro sepeliatur : si commode exhumari nequeat, verberetur locus, et absolvatur. At sepultus in loco sacro, non exhumatur sed verberatur sepulcrum, dicendo:

Exultabunt ossa humiliata. *Psalm.* Miserere etc. *quo dicto absolvatur.*

Auctoritate mihi concessa, ego te absolvo a vinculo Excommunicationis, quam incurristi (*vel* incurrisse declaratus es) propter tale factum, et restituo te communioni Fidelium.

In nomine Patris, etc.

Deinde dicatur Psalm. De profundis.

℣. Requiem aeternam, etc. ℟. Et lux etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster...

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animam ejus.

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS

Da, quaesumus Domine, Animae Famuli tui, quem Excommunicationis sententia constrinxerat, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, superni luminis claritatem. Per Christum etc.

Modus absolvendi a suspensione, vel interdicto, intra vel extra Confessionem.

Sacerdos data facultate, et nullis praescriptis verbis his utitur.

Poenitens dicat. Confiteor etc.

Sacerdos : Misereatur, etc.

Indulgentiam, etc.

Auctoritate mihi ab N. tradita, ego absolv te a vinculo Suspensionis (*vel* interdicti, quam (*vel* quod) propter tale factum (*vel* causam incurristi (*vel* incurrisse declaratus es). In no mine Patris ✝, etc.

Si Confessario sit data potestas dispensandi su per Irregularitate, intra vel extra Confessionem Sacramentalem, tunc post absolutionem a pecca tis addit.

Et eadem auctoritate dispenso tecum super Ir regularitate, (*vel*, Irregularitatibus) in quem (*vel*, quas) ob talem caussam, (*vel*, causas *eas exprimendo*) incurristi; et habilem reddo et restituo te executioni Ordinum, et Officiorum tuorum. In nomine Patris, etc.

Si nullum habet Ordinem, dicit : Habilem t reddo ad omnes Ordines suscipiendos : *vel etiam ad alia, juxta tenorem mandati.*

Quod si titulus Beneficii restituendus, et fru ctus male percepti condonandi, subjungit.

Et restituo tibi titulum, (*vel* titulos) Bene ficii, (*vel* beneficiorum,) et condono tib fructus male perceptos. In nomine Pa✠tris, etc.

§ VIII. *Modus administrandi Sacram Communionem Infirmis.*

Sacerdos deferens in pixide inaurata Particu lam consecratam ad Infirmum, quam primum ingreditur cubiculum dicat: *Pax huic Domui, et omnibus habitantibus in ea.* Mox deponat supe

Corporale in mensula linteo mundo debite cooperta Venerabile, et genuflectat. Deinde aspergat aqua benedicta Infirmum, dicens: *Asperges me Domine, etc.* Ps. *Miserere mei Deus, etc. Gloria Patri, etc.* Deinde repetat.

Antiph. Asperges me, etc. *Postea.*

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Domine exaudi etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, et mittere digneris sanctum Angelum tuum de Caelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum, etc. ℟. Amen.

Postea infirmus Sacramentalem faciat Confessionem, si antea illam non praemiserit: deinde facta de more Confessione generali, sive ejus nomine ab alio; Sacerdos dicat: Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. ℟. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens, et misericors Dominus. ℟. Amen.

Deinde facta genuflexione, accipiat Sacramentum de vasculo, atque illud elevans, ostendat infirmo dicens: Ecce Agnus Dei, etc. *et more solito ter dicat:* Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea. *Infirmus simul cum Sacerdote dicat eadem verba, saltem semel, submis-*

sa voce : tum Sacerdos dans infirmo Eucharistiam dicat:

Accipe Frater, *vel* Soror, Viaticum Corpori Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat a hoste maligno, et perducat te ad vitam aeternam. Amen.

Si vero Communio non detur per modum Viatici, dicatur more ordinario: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen.

Quod si mors immineat, et periculum sit in mora, tunc dicto *Misereatur tui, etc.* praedictis precibus omnibus, vel ex parte omissis, ei statim Viaticum praebeatur. Postea Sacerdos abluat digitos nihil dicens, et Infirmo detur ablutio deinde dicat:

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti Fratri nostro, *vel* Sorori nostrae, Sacrosanctum Corpus Domini nostri Jesu Christi Filii tui, tam corpori, quam animae prosit ad remedium sempiternum. Qui vivit, et regnat, etc.

His expletis, si altera Particula Sacramenti superfuerit, genuflectat, surgat accipiens vas cum Sacramento, faciat cum eo signum Crucis super Infirmum, nihil dicens, et reverenter illud deferens, revertatur ad Ecclesiam, dicendo Psalm. *Laudate Dominum de caelis, etc.* alios Psalmos et Hymnos prout tempus feret. Cum perveneri

ad Ecclesiam, ponat Sacramentum super Altare, adoret, deinde dicat:

℣. Panem de caelo prestitisti eis.

℟. Omne delectamentum in se habentem.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti, tribue quaesumus, ita nos Corporis, et Sanguinis tui Sacra mysteria venerari, ut Redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postea cum Sacramento in Pixide, velo cooperto, faciat signum Crucis super populum, nihil dicens: Postremo illud in loco suo reponat.

§ X. *Modus administrandi Extremam Unctionem.*

Cum perventum fuerit ad locum, ubi jacet Infirmus, Sacerdos intrans Cubiculum dicet : Pax huic Domui, et omnibus habitantibus in ea.

Deinde posito Oleo super mensam, superpelliceo, stolaque violacea indutus, Aegroto Crucem pie deosculandam porrigit: mox in modum Crucis, cum aqua benedicta, et cubiculum, et circumstantes aspergit, dicens Antiph. *Asperges me etc.* Quod si Aegrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Postea dicat;

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Introeat, Domine Jesu Christe, Domum hanc

sub nostrae humilitatis ingressu, aeterna felicit
divina prosperitas, serena laetitia , charitas fr
ctuosa, sanitas sempiterna; effugiat ex hoc lo
accessus daemonum, adsint Angeli pacis, domu
que hanc deserat omnis maligna discordia.

Magnifica, Domine, super nos Nomen sanctu
tuum, et bene✝dic nostrae conversationi : Sa
ctifica nostrae humilitatis ingressum, qui sanct
et pius es , et permanes cum Patre , et Spir
Sancto in saecula saeculorum. Amen.

Oramus, et deprecamur Dominum nostrum J
sum Christum , ut benedicendo benedicat h
tabernaculum, et omnes habitantes in eo, et d
eis Angelum bonum Custodem: et faciat eos si
servire ad considerandum mirabilia de lege su
avertat ab eis omnes contrarias potestates; er
piat eos ab omni formidine , et ab omni pe
turbatione : ac sanos in hoc tabernaculo cust
dire dignetur. Qui cum Patre, et Spiritu Sanc
vivit , et regnat Deus in saecula saeculorun
Amen.

OREMUS

Exaudi nos , Domine Sancte , Pater omnip
tens aeterne Deus; et mittere digneris sanctu
Angelum tuum de Caelis, qui custodiat, fovea
protegat , visitet , atque defendat omnes hab
tantes in hoc habitaculo. Per Christum Dom
num nostrum. Amen.

Quae orationes , si tempus non patiatur , e
parte , vel in totum poterunt omitti. Tum d
more , facta Confessione generali , latino , v

vulgari sermone, Sacerdos dicat: *Misereatur tui, etc. Indulgentiam, Absolutionem, etc.*

Antequam Sacerdos incipiat ungere Infirmum, moneat adstantes, ut pro illo orent: et ubi commodum fuerit, pro loco, et tempore, et adstantium numero, vel qualitate, recitet septem Psalmos Poenitentiales cum Litaniis, vel alias preces dum ipse unctionis Sacramentum administrat, mox dicat:

In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti, extinguatur in te omnis virtus Diaboli, per impositionem manuum nostrarum, et per invocationem omnium sanctorum Angelorum, Arcangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum. Amen.

Deinde intincto pollice in Oleo Sancto, in modum Crucis inungit Infirmum in partibus hic subscriptis, aptando proprio loco verba formae in hunc modum.

Ad oculos.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti. Amen.

Minister vero, si est in Sacris, vel ipsemet Sacerdos, post quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombycino, vel rei similis, eosque in vase mundo reponat, et ad Ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque projiciat in Sacrarium.

Ad Aures.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per auditum deliquisti. Amen.

Ad Nares.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per odoratum deliquisti. Amen.

Ad Os, compressis labiis.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per gustum, et locutionem deliquisti. Amen.

Ad Manus.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per tactum deliquisti. Amen.

Advertat, quod Sacerdotibus manus non inunguntur interius, sed exterius.

Ad Pedes.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per gressum deliquisti. Amen.

Ad Lumbos, sive renes.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per lumborum delectationem deliquisti. Amen.

Haec autem unctio ad lumbos omittitur semper in feminis, et etiam in Viris qui ob infirmitatem vix, aut sine periculo, moveri non possunt.

Quibus omnibus peractis, Sacerdos dicit.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Deus, qui per Apostolum tuum Jacobum locutus es; infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum Oleo in Nomine Domini, et oratio Fidei salvabit infirmum; et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei: cura, quaesumus, Redemptor noster, gratia Sancti Spiritus languores istius Infirmi, ejusque sana vulnera, et dimitte peccata, atque dolores cunctos mentis, et corporis ab eo expelle plenamque interius, et exterius sanitatem misericorditer redde, ut, ope misericordiae tuae restitutus, ad pristina reparetur officia. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

OREMUS

Respice, quaesumus Domine, Famulum tuum N. in infirmitate sui corporis fatiscentem, et animam refove quam creasti, ut castigationibus emendatus, se tua sentiat medicina salvatum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMUS

Domine, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, qui benedictionis tuae gratiam aegris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis, ad invocationem tui nominis benignus assiste, ut Famulum tuum ab aegritudine liberatum, et sanitate donatum dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis; atque Ecclesiae tuae Sanctae, cum omni desiderata prosperitate restituas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

§ X. *Modus visitandi Infirmos.*

Inter omnia, quae ad explendum Dei mandatum directivum ad charitatem, et amorem proximi pertinent, praecipuum ducitur, oppressos a variis tribulationibus consolari; ex quibus una, et sensibilior est infirmitas corporis. Haec dum angit viscera languentis, variis modis animum ejus de facili conturbat, et ut medicamine temporali curatur, multo magis indiget pharmaco Spirituali: quod Personae Deo sacratae, efficaciter adaptare patienti, solius est: Idcirco, ut exacte muneri suo satisfaciat, omni studio co-

netur incumbere sanctitati, ne ipsi ab aegroto dicatur illud Lucae 2. *Medice cura te ipsum.* Hoc adnotato, et maxime cum Joan. Chrysostomi extet sententia: *quod ex peccatis non de raro morbi generentur*, pietas Sacerdotis, ad expellandam tàm contagiosam causam, pro viribus defatigari debet.

Primo igitur si noverit conditionem infirmi, indaget ejus vitia, et singulariter ubi animae salus periclitari contigerit. Mox cubiculum ejus ingressus, hilaritate, et compositione visus, det ei nuntium pacis, aspergat illum aqua benedicta, dicens: *Asperges me, Domine, etc.* Illi compatiatur, et suavi colloquio ipsum alloquendo, interroget de qualitate morbi, et paucis praemissis ei patefaciat suae charitatis impulsus: nempe, quod ad visendum eum, cupiditas solandi, et inserviendi suae necessitati, si quid valet, traxerit: et licet immeritus, tamen Deo pro ipso fundere preces intendit, et ut animo eas prosequatur, hortetur: tunc, flexis genibus Divinae clementiae brevi Oratione ejus sanitatem commendabit, ut infra signabitur.

Peracta oratione (juxta quod viderit pronitatem infirmi) discursus, et locutiones suas limabit. Si gratia Dei praeditum agnoscit, illi congratuletur; amorem, bonitatem Altissimi erga nos in tribulationibus praeclarissime elucentem exaltet: indignitatem nostram exageret, et debitum gratitudinis impendat. Non sit prolixus, ut desiderabilis evadat, non toediosus infirmo.

Si horrescit infirmitatem, propter affectionem corporis, discurrat de vanitate saeculi, de periculis, quae insunt sanitati, quibus repente anima, et corpus aeternaliter gehennae traduntur exurendi. Si propter cessationem ordinarii quaestus, et damnum familiae, praebeat ei exempla quotidianae Providentiae Divinae, sine qua, vel sanus, haudquaquam lucrifacere posset. Si est impatiens, et subitae naturae, admittat ejus rationes, in aliquibus condescendat, ut excitet ejus sibi affectionem: et ut opportunitas orietur, insinuet ei gaudium, quo Deus afficitur, dum nos aequo animo adversa ferre intuetur: ostendat, quod libentissime Unigenitus ejusdem Dei Filius, ut ei pareret, innumera pro nobis pertulit probra, et eum tam dire pro nobis Crucifixum ingenti affectu ipsis verbis demonstret, fructus enumeret, qui ex nostra tolerantia tam corporis, quam animae denascuntur, et ex opposito mala innumerabilia, quae nobis parit nostra recalcitratio. Si pusillanimis, adjuvet eum, certiorem reddendo, quod totus properet ad Paradisum, patriam nostram, dum per ignem tribulationis, ut argentum examinatur a Domino, ne vitae obliviosus, per prospera evagando, ad inferna descendat. Si mortem timet, edisserat et pretiosam esse in conspectu Domini mortem Sanctorum; cum statutum sit omnibus hominibus semel mori; morti absque peccatis obviare tantum studendum esse, et in Domino jactandum cogitatum nostrum,

in cujus manibus sunt sortes nostrae, et ipse, qui diligit nos, enutriet, et opem dabit nobis super lectum doloris nostri. Si metuit judicium Dei, praedicet ejus immensam misericordiam, quae omnem nostram malitiam longe exuperat, in qua innixus, per merita dolorum, et mortis Christi, ad portum salutis tutus perveniet. Si morbo ad mortem premitur, et spe longioris vitae delusus renuit confiteri, notificet, accedendum esse ad Deum adjutorem in opportunitatibus, in tribulatione. Discurrat de efficacia Sacramentorum, quae aliquando et corpori sunt salutaria. De incertitudine vitae significet, multos tali spe, a diabolo illaqueatos fuisse, nunc autem per hoc perpetuas luere poenas; earum acerbitatem exponat, et aeternitatem testetur: suadeat poenitentiam voluntariam, Deo gratam: coactam vero ingratam esse: *videtur enim*, ait D. August. *confessio latronum, pro qua damnantur ad supplicia*, et sic quibuscumque claudicationibus Infirmi occurret Religiosus Medicus faciens se Infirmum Infirmis, ut Infirmos lucrifaciat.

Pauca hic insunt, sed multa amplectuntur, quae perito sufficiunt: studium enim charitatis, non paginae, sed qui pro nobis se obtulit Patri Sacrificium in Ara Crucis, nostrosque languores tulit, et dolores portavit, plene nos edocebit, si eidem charitati pro viribus studere voluerimus: est sententia Spiritus S. in Eccl. 7. *Non desis plorantibus in consolatione et cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare Infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.*

§ XI. *Variae Sententiae Ss. Patrum, quibus Sacerdos in Visitatione infirmorum pro opportunitate uti poterit, juxta dispositionem eorumdem.*

S. Chrysostomus. Si non potes Sol fieri, fias Stella; dumtaxat ascende super terram, et incipe aemulari syderibus.

S. Laurent. Justin. Quis purgare refugiat, quis pati recusabit, cum Angelorum Regem hominem factum, in Crucis agnoverit pendere supplicio?

S. Chrysol. Timor si non fuerit amore temperatus, quamvis devotam servitutem efficit contumacem.

S. Thom. Nota, quomodo Deus fuit armatus in Cruce; habuit enim in capite galeam non de auro, sed de spinis; loricam non de aere, sed carnem immaculatam; in manibus non lanceam, vel gladium, sed magnos clavos, qui et in pedibus affixi, ut calcaria lucent, pro equo vero habuit ipsam Crucem.

S. Vincent. Fer. Cur tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto plus vivimus, tanto plus peccamus, quanto vita est longior, tanto culpa est numerosior? assidue vagatur Homo per prospera, et adversa, et ignorat quando, et quomodo morietur. Sicut enim Stella in Caelo coruscans currit velociter, et repente deficit; vel sicut scintilla ignis subito extinguitur, et in cinerem reducitur; sic cito finitam datur cernere vitam.

S. Gregorius. Si consideremus, quae, et quanta sunt, quae nobis promittuntur in Caelis, vilescunt animo omnia, quae habentur in terris.

S. Augustinus. Aspice vulnera in Cruce pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicacrices resurgentis, et videbis, quod caput habet inclinatum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum Corpus exangue ad redimendum: taliter considera, ut tibi figatur in corde, qui pro te fixus est in Croce.

S. Bernardus. Experire, o anima: Caput Angelicis tremendum spiritibus densitate spinarum pungitur. Facies speciosior prae filiis hominum sputis Judaeorum deturpatur. Oculi lucidiores Sole, caligant in morte. Aures, quae audiunt Angelicos cantus, auscultant peccatorum insultus. Os, quod docet Angelos, felle, et aceto potatur. Pedes, quorum scabellum est terra, Cruci clavo affiguntur. Manus, quae formaverunt Caelos, in stipite extensae clavis transfixae sunt. Corpus caeditur: et lancea latus perforatur. Quid plura? non remansit in Christo nisi lingua, ut pro peccatoribus exoraret.

S. Petrus Chrysol. super illud prodigi filii: surgam et ibo ad Patrem meum.

Qua spe, qua confidentia? Illa, quae Patris est. Ergo perdidit, quae erat filii; non amisit illa quae Patris sunt. Apud Patrem non intercedit extraneus, intus est in pectore Patris, ipse, qui intervenit, et exorat affectuose.

S. Augustin. Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro, recordatione vulnerum Christi resurgo. Cum Diabolus mihi parat insidias, fugio ad vulnera Domini mei, et recedit a me. Nullum tam potens, et tam efficax medicamentum ad omnes tentationes devincendas, quam Redemptoris assidua meditatio mortis.

S. Cyprianus. Bonorum nostrorum non indiget Deus: nos tantum bonitate, et charitate, non necessitate desiderat.

S. Isidorus. Si dulciora quaerimus, necesse est, ut prius amara toleremus.

S. Aug. Si non vis flagellum, non dabitur tibi haereditas.

S. Bonav. Majoris meriti est adversa patienter tolerare, quam bonis operibus insudare.

S. Bernard. Qui in hac vita flagellari non meretur, in Inferno aeternaliter torquebitur.

Idem. Levius sustinebimus infirmitates corporis, si ad memoriam reduxerimus mala, quae fecimus.

S. Ambros. Si vis justificari, fatere delictum tuum: solvit enim criminis nexus verecunda confessio.

S. Bonavent. Nemo de pietate Dei diffidat, quoniam major est ejus misericordia, quam nostra miseria; et quisquis ad eum toto corde clamaverit, exaudietur ab eo, quia misericors est.

S. Aug. Peccata Christum meum vincere non possunt; clavi, lanceaque clamant mihi, quod vere reconciliatus sum illi, si eum amavero.

S. Hieron. Magis Judas offendit Dominum, quia se suspendit, quam quod ipsum prodidit.

S. Aug. Poenitentia vera non annorum numero censetur, sed amaritudine animi. Non enim longitudinem tantum requirit Deus, quantum affectum sincerissimum poenitentis pensat.

Idem. Regnum Caelorum, o Homo, aliud non requirit pretium, nisi te ipsum; tantum enim valet, quantum tuum est: te da, et habebis illud.

S. Isidorus. Confessio sanat, Confessio justificat, Confessio peccati veniam donat, omnis spes in Confessione consistit.

S. Aug. Tanta est dulcedo futurae gloriae, ut si gutta una in Infernum deflueret; totam ejus amaritudinem dulcem faceret.

Abbas Cellensis. Sathan tolerabilius sustinet flammam suam, quam lacrymam nostram; acriusque contriti cordis lacryma, quam flamma infernalis incendii torquetur.

S. Greg. Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non impetraverit, quod postulavit: nullus ab eo beneficia dolenter optavit, qui non accepit.

S. Petrus Dam. Pia mens, quanto sibi terrena solatia deesse considerat, tanto magis appropinquare Spiritus Paraclyti potentiam confidit.

S. Bern. Valde bona infirmitas, quae docet Hominem sanctitatem vitae; cetera praecellit, quae homini ad salutem adversa contingunt.

Theophilactus. O rem admiratione dignam! Si libenter patior, Deus donat mihi, et insuper debet mihi.

Hug. Card. Ex igne divini amoris sagittae tribulationum veniunt.

S. Aug. Multa concedit Deus iratus, quae non concederet propitius, ut nostrae importunitati assentiat.

S. Petrus Dam. Inter poenitentiam, Regnumque Caelorum nihil medium.

S. Chrys. Magna violentia data est homini, in terra nasci, Caelum rapere, et habere per virtutem, quod non potest per naturam.

S. Augu. Quanto majorem moram faciemus in peccato, tanto difficilior erit confessio, et confessio, quae fit morte urgente, et si non damnatur, ut mala, non est tamen Deo speciosa, sicut ea, quae fit ex voluntate, non necessitate: est enim velut confessio latronum, qui non confitentur mala sua, nisi prius tormentis tentata; qua confessione damnantur ad supplicia.

Rup. Abbas. Christus sitiens mortuus est in Cruce, ut ostendat nihil esse in mundo, quod sitim expleat.

S. Bonavent. Christus sibi voluit pro te manus, et pedes clavis perforari; ut cum ad ipsum perveneris, sic tuae manus in suas intrent, et pedes in suos, ut sibi inseparabiliter conjungaris.

S. Bern. In Christi dilectione, modus amoris nullus debet esse: sine modo te dilexit, sine

modo eum diligere debes. Modum dilectionis expressit pro te moriendo, tu quantum eum diligere debes, non potes; dilige ergo ex toto corde eum; a te ultra non quaerit.

Idem. Beata Virgo apud Filium, sicut Filius, apud Patrem, procurat negotia, et petitiones nostras, et quod justitia Filii potest damnare, Matris misericordia liberat.

S. Bernardinus Senens. Maria Virgo hausit a Deo Patre fontalem foecunditatem, ad generandum omnes electos.

S. Bonav. Abyssus abyssum invocat, dum Mater Filium implorat.

S. Bern. Vas liquore plenum, si quo modo moveatur, de facili effundit liquorem; sic B. Virgo Maria, si precibus moveatur, effundit gratiam, et misericordiam: est enim gratia plena.

S. Fulgentius. Dudum Caelum, et Terra corruissent, si Maria precibus non sustentasset.

S. Bernard. Nemo desperet, quamvis multorum sit scelerum sibi conscius. Judex adest, quem timeas; sed et tibi Judicis Mater reorum unica spes.

S. Anselmus. Velocior est nonnumquam salus, memorato nomine Mariae, quam invocato nomine Jesu: quia ipse ut Judex, aliquando non exaudit: Invocato autem nomine Matris, etsi merita invocatoris non merentur, merita tamen Matris intercedunt.

Idem. Sicut hominem a Virgine aversum impossibile est salvari; sic hominem ad eam conversum impossibile est damnari.

S. *Bonaventura*. Nihil gratiae ad nos pervenit, quod non transeat per manus Mariae.

§ XII. *Modus adjuvandi Infirmum.*

Ingravescente morbo Sacerdos infirmum frequentius visitabit, ad salutem diligenter juvabit, monebitque instante periculo se confestim vocari, ut in tempore praesto sit morienti; sumptoque Sanctissimo Viatico, et Sacra Unctione adhibita, si periculum immineat, statim Commendationis Animae officium praestabit, de quo infra.

Sed si tempus suppetat, sequentia pietatis officia praestare poterit, si ita expedire judicaverit pro conditione personae.

Ac primo, si Ægrotus Indulgentiam legitima auctoritate concessam consequi possit, eam illi reducat ad mentem, proponatque quid ad eam consequendam agi debeat; praesertim, ut contrito corde Sanctissimum Nomen Jesu semel, vel saepius invocet.

Deinde hortetur Infirmum, et excitet, ut dum mente viget, eliciat actus fidei, spei, et charitatis, aliarumque virtutum, nempe:

Ut firmiter credat omnes articulos Fidei, et quidquid Sancta Romana Ecclesia Catholica, et Apostolica credit, et docet.

Ut speret, Christum Dominum nostrum pro sua immensa clementia sibi fore propitium, et merito ejus Santissimae Passionis, et per inter-

cessionem Beatae Mariae, et omnium Sanctorum se vitam aeternam consecuturum.

Ut toto corde diligat, et maxime diligere cupiat Dominum Deum ex dilectione, qua illum diligunt Beati, Sanctique omnes.

Ut ob amorem Dei doleat ex corde de omni offensa, qualitercumque contra Dominum Deum, et Proximum commissa.

Ut ex corde ob amorem Dei parcat omnibus, qui sibi quoquo modo fuerunt molesti, aut inimici.

Ut ab iis veniam postulet, quos aliquando dictis, aut factis offendit.

Ut quem patitur dolorem, morbi molestiam, propter Deum, in poenitentiam peccatorum suorum patienter toleret.

Ut si Dominus sibi salutem corporis praestare dignabitur, proponat de cetero, pro viribus suis, a peccatis cavere, et ejus mandata servare.

Hortetur praeterea, ut eo modo quo potest, saltem ex corde ita per intervalla precetur.

Miserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

In te Domine speravi: non confundar in aeternum.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum: Redemisti me, Domine Deus veritatis.

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.

Esto mihi, Domine, in Deum protectorem: Deus, propitius esto mihi peccatori.

Dulcissime Domine Jesu Christe, per virtutem Sanctissimae Passionis tuae, recipe me in numerum electorum tuorum.

Domine Jesu Christe, suscipe Spiritum meum.

Maria Mater gratiae, Mater misericordiae. Tu nos ab Hoste protege, et hora mortis suscipe.

Sancte Angele Dei, mihi custos assiste. Omnes sancti Angeli, et omnes Sancti intercedite pro me, et succurrite.

Haec, et his similia poterit prudens Sacerdos, vulgari, vel latino sermone, pro personae captu, morienti suggerere.

§ XIII. *Modus benedicendi Infirmos.*

Si quis infirmus ex devotione petierit Sacerdotalem benedictionem super statum suae infirmitatis, Sacerdos cubiculum Infirmi ingressus, primum dicat: Pax huic Domui, et omnibus habitantibus in ea

Postea eum, lectum, et cubiculum aspergat aqua benedicta, dicens *Antiph.* Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Psalm. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, etc.

Gloria Patris, etc.

Repetat. Asperges etc.

℣. Adjutorium nostrum etc.

℟. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Exaudi nos, Domine Sancte Pater omnipo-

tens aeterne Deus, et mittere digneris sanctum Angelum tuum de Caelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum, etc.

Poterit postea dicere Litanias B. Virginis ut supra pag. 101 vel Psalm. Domine ne in furore tuo. etc. *ut supra pag. 242. vel Psal.* Miserere etc. *vel Psalm.* Qui habitat in adjutorio Altissimi, *ut supra pag. 438. Postea subjungat.*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Dominus opem ferat illi.

℟. Super lectum doloris ejus.

℣. Domine exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parcé peccatis, ut pariter nobis Indulgentiam tribuas benignus, et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam

tuam clementer ostende; ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Omnipotens sempiterne Deus infirmitatem famuli tui propitius respice, atque ad eum protegendum dexteram tuae Majestatis extende.

Deus, infirmitatis humanae singulare praesidium, auxilii tui super Infirmum Famulum tuum ostende virtutem, ut ope misericordiae tuae adjutus, Ecclesiae sanctae incolumis repraesentari mereatur.

Concede hunc Famulum tuum, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa B. Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

✠ *Sequentia sancti Evang. secundum Matthaeum.*

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, et venit in Civitatem suam. Et ecce offerebant ei Paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit Paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala

in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge, et ambula? Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit, et abiit in domum suam. Videntes autem turbae timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

℞. Laus tibi Christe.

Imponat dexteram super caput Infirmi, et dicat:

Super Aegros manus imponent, et bene habebunt. Jesus Filius Mariae, Mundi salus, et Dominus, meritis, et intercessione sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, atque Advocatorum tuorum, et omnium Sanctorum, sit tibi clemens, et propitius. Amen.

Pollice dextero signet ejus frontem, et dicat:

Per signum Sanctae Crucis †, et per donum Sancti Spiritus, det tibi Deus sanitatem mentis, et corporis. Amen.

Denuo aspergat Infirmum aqua benedicta in modum Crucis, dicens:

Benédictio ✠ Dei omnipotentis, Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti, descendat super te, et maneat semper. Amen.

Benedictio Infirmorum cum Reliquiis Sanctorum.

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi dulcissime,

humiliter te obsecro, ut per merita tuae acerbissimae Passionis, per intercessionem Beatissimae Virginis Mariae Matris tuae, per advocationem Sanctorum, et praecipue eorum, quorum Reliquias hic veneramur, hunc Famulum tuum N. eorum suffragia postulantem ab omni aegritudine mentis, et corporis clementer eripere digneris. Ne despicias, quaesumus, Redemptor noster, me indignissimum Sacerdotem ministrum tuum, sed, sicut tradidisti mihi potestatem quotidie offerendi aeterno Patri tuo immaculatissimum corpus, et pretiosissimum Sanguinem tuum ad Altare in remissionem peccatorum totius mundi, ita hunc reple impositione manuum mearum omni tua benedictione caelesti. Qui vivis, et regnas, etc.

Jesu Salvator mundi exaudi nos; Sancta Maria Dei Genitrix, ora pro nobis: Angeli, Archangeli, Throni, et Dominationes, Principatus, et Potestates, et Virtutes caelorum; Cherubim, atque Seraphim, Patriarchae, et Prophetae, Sancti Legis Doctores, Apostoli, omnes Christi Martyres, Sancti Confessores, Virgines Domini, Anachoritae, Sanctique omnes intercedite pro nobis.

℣. Dominus vobiscum, etc.

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.*
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: surgens Jesus de Synagoga introivit in domum Simonis: Socrus autem Si-

monis tenebatur magnis febribus, et rogaverunt illum pro ea. Et stans super illam, imperavit febri; et dimisit illam, et continuo surgens ministrabat illis. ℟. Laus tibi Christe.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison, Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Miserere nostri Domine.

℟. Miserere nostri.

℣. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, Domine.

℟. Cito anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis.

℣. Adjuva nos Deus salutaris noster.

℟. Et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos.

℣. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui.

℟. Visita nos in salutari tuo.

℣. Domine exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Amantissime Domine Jesu Christe, consolatio afflictorum, fortitudo laborantium, qui de credentibus in te dixisti: Super Aegros manus imponent, et bene habebunt; tua benignissima miseratione, libera hunc famulum tuum N. ab hac infirmitate, qua detinetur, et sicut Socrum Petri, et Reguli Filium a magnis febribus liberasti, ita hunc Famulum tuum N. humiliter te de-

precantem exaudi, atque ab eo hanc, qua premitur, aegritudinem expelle: et sicuti Paralyticum curasti, Leprosos mundasti, Centurionis Puerum sanasti, Mulierem a flŭxu sanguinis liberasti, jacentem Languidum ad Piscinam erexisti, et valetudini tradidisti, circumiensque Civitates, et Castella omnem langnorem, et omnem infirmitatem curasti, ita nunc oculos tuos misericordes ad Famulum hunc N. converte, perfectamque illi sanitatem mentis, et corporis concede, ut ab omni aegritudine purgatus, nomen tuum perpetuo laudare valeat. Qui vivis, et regnas, etc.

Benedictio aquae cum Reliquiis Sanctorum pro Infirmis.

℣. Adjutorium nostrum, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Deus, qui ad salutem humani generis maxima quaeque Sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic, (quod Beati N. meritis consignavimus, virtutem tuae Benedictionis infunde, et per intercessionem ejusdem, haec unda sit fidelibus tuis in remedium salutare; Daemones ab eis ejiciens; morbos, ac infirmitates corporis, et animae repellens; et praesta, ut quicumque eam sumpserint, vel ea aspersi fuerint, ab omni adversitate animae, et corporis liberentur, et utriusque hominis recipiant sanitatem. Per Christum Dominum, etc.

OREMUS

Immensam Clementiam tuam, omnipotens aeterne Deus, humiliter imploramus, ut hos fideles tuos ad Reliquias Beati N. devote accedentes, et ejus suffragia postulantes, tua ineffabili, virtute bene✠dicere digneris, ut per interventum ejusdem ab omni aegritudine mentis, et corporis liberati, tuaque hic, et ubique misericordia custoditi, et gratia salvati, post viae, ac vitae hujus cursum, ad aeterna mereantur gaudia pervenire. Per Christum Dominum etc.

Te, Adonai, Deus magne, etc. O piissima Virgo, etc. Subvenite Sancti Dei, etc. *ut supra pag. 219. et sequentibus.*

Infundat Reliquias in aquam: Aspergatur, et detur infirmo.

Benedictio Panis pro Infirmis.

Domine Sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, bene✠dicere digneris hunc panem tua sancta spirituali benedictione, ut sit omnibus sumentibus salus mentis, et corporis, atque contra omnes morbos, et universas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum Panem vivum, qui de Caelo descendit, dat vitam, et salutem mundo, et tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen. *Aspergat aqua benedicta.*

Alias benedictiones pro Infirmis vide supra, pag. 218. et sequentibus.

§ XIV. *Ritus Commendationis Animae.*

Primo Sacerdos aspergat aqua benedicta jam Agonizantem, ac cubile ejus, dicens: *Asperges me, etc.* Deinde accensa Candela benedicta signet eum, dicendo:

Benedictio Sanctissimae Trinitatis, Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti, descendat super te, et maneat semper. Amen.

Domine Jesu Christe, per amaritudinem illam Passionis tuae, quam sustinuisti in Cruce, maxime in illa hora, quando Anima tua Sacratissima egressa est de Sanctissimo Corpore tuo, miserere Animae Famuli tui, (*vel* Famulae tuae) in egressu suo.

Haec signatio repetitur in expiratione.

Deinde, accensa eadem candela, genibus flexis, cum omnibus circumstantibus, breves Litaniae devote recitantur in hunc modum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Sancta MARIA, ora pro eo (*vel* pro ea);
Omnes Sancti Angeli, et Archangeli, orate etc.
Sancte Abel ora pro eo.
Omnis Chorus justorum, orate etc.
S. Abraham, ora pro eo.
S. Joannes Baptista, ora pro eo.
S. Joseph, ora pro eo.
Omnes sancti Patriarchae, et Prophetae, orate etc.
S. Petre, ora pro eo.
S. Paule, ora pro eo.
S. Andrea, ora pro eo.

S. Joannes, ora pro eo.
Omnes Ss. Apostoli, et Evangelistae, orate etc.
Omnes Ss. Innocentes, orate pro eo.
S. Stephane, ora pro eo.
S. Laurenti, ora pro eo.
Omnes sancti Martyres, orate, etc.
S. Silvester, ora pro eo.
S. Gregori, ora pro eo.
S. Augustine, ora pro eo.
Omnes Ss. Pontifices, et Confessores, orate etc.
S. Benedicte, ora pro eo.
S. Francisce, ora pro eo.
Omnes Ss. Monachi, et Eremitae, orate pro eo.
S. Maria Magdalena, ora pro eo.
S. Lucia, ora pro eo.
Omnes sanctae Virgines, et Viduae, orate pro eo.
Omnes Sancti, et Sanctae Dei, intercedite pro eo.
Propitius esto, parce ei Domine.
Propitius esto, exaudi eum, (*vel* eam), Domine.
Ab ira tua, libera eum, Domine.
A periculo mortis, libera eum, etc.
A mala morte, libera eum, etc.
A poenis inferni, libera eum, etc.
Ab omni malo libera eum.
A potestate Diaboli, libera eum.
Per Nativitatem tuam, libera eum.
Per Crucem, et Passionem tuam, libera eum.
Per Mortem, et Sepulturam tuam, libera eum.
Per gloriosam Resurrectionem tuam, libera eum.
Per admirabilem Ascensionem tuam, libera eum.
Per Gratiam Spiritus S. Paraclyti, libera eum.

In die Judicii, libera eum, Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut ei parcas, Te rogamus audi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Deinde, cum in agone sui exitus anima anxiatur, dicantur sequentes preces.

Proficiscere Anima Christiana de hoc Mundo in nomine Patris ✠ omnipotentis, qui te creavit; in Nomine Jesu Christi Filii Dei vivi ✠, qui pro te passus est; in Nomine Spiritus Sancti ✠, qui in te effusus est; in Nomine Angelorum, et Archangelorum; in Nomine Thronorum, et Dominationum; in Nomine Principatuum, et Potestatum; in Nomine Cherubim, et Seraphim; in Nomine Patriarcharum, et Prophetarum; in Nomine Sanctorum Apostolorum, et Evangelistarum; in Nomine Sanctorum Martyrum, et Confessorum; in Nomine sanctorum Monachorum, et Eremitarum; et in Nomine sanctarum Virginum, et omnium Sanctorum, et Sanctarum Dei; hodie sit in pace locus tuus, et habitatio tua in Sancta Sion. Per Christum, etc.

Deus misericors, Deus clemens, Deus qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata poenitentium deles, et praeteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas, respice propitius super hunc Famulum tuum N. et remissionem omnium peccatorum suorum, tota cordis confessione poscentem, deprecatus exaudi. Renova in eo piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabo-

lica fraude violatum est, et unitati Corporis Ecclesiae Membrum Redemptionis annecte. Miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum ejus : et, non habentem fiduciam nisi in tua misericordia, ad tuae Sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Commendo te omnipotenti Deo, charissime Frater, et ei cujus es Creatura, committo; ut cum humanitatis debitum morte interveniente persolveris, ad Auctorem tuum, qui te de limo terrae formaverat, revertaris. Egredienti itaque Animae tuae de corpore splendidus Angelorum caetus occurrat; judex Apostolorum tibi Senatus adveniat; candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obviet; liliata rutilantium te Confessorum turma circumdet; jubilantium te Virginum chorus excipiat; et beatae quietis in sinu Patriarcharum te complexus astringat; mitis, atque festivus Christi Jesu tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi jugiter interesse decernat. Ignores omne quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus Sathanas cum satellititibus suis, in adventu tuo, te comitantibus Angelis, contremiscat, atque in aeternae noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus ✠, et dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei; et justi epulentur, et exul-

tent in conspectu Dei. Confundantur igitur, et erubescant omnes tartareae legiones, ministri Sathanae iter tuum impedire non audeant. Liberet te a cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est; liberet te ab aeterna morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus, Filius Dei vivi, inter Paradisi sui semper amoena vireta, et inter oves suas, te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat, atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat; Redemptorem tuum de facie ad faciem videas, et praesens semper assistens, manifestatissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina Beatorum, contemplationis Divinae dulcedine potiaris in saecula saeculorum. ℟. Amen.

OREMUS

Suscipe, Domine Servum tuum in locum sperandae sibi salvationis a misericordia tua. ℟. Amen.

Libera, Domine, Animam Servi tui, ex omnibus periculis inferni, et de laqueis poenarum, et ex omnibus tribulationibus. ℟. Amen.

Libera, Domine, Animam servi tui, sicut liberasti Enoc, et Eliam de communi morte mundi. ℟. Amen.

Libera, Domine, Animam Servi tui, sicut liberasti Noe de diluvio. ℟. Amen.

Libera, Domine Animam Servi tui, sicut liberasti Abraham de Ur Chaldeorum. ℟. Amen.

Libera, Domine, Animam Servi tui, sicut liberasti Job de Passionibus suis. ℟. Amen.

Libera, Domine, Animam Servi tui, sicut liberasti Isaac de Hostia et de manu Patris sui Abrahae. ℟. Amen.

Libera, Domine, Animam Servi tui, sicut liberasti Loth de Sodomis, et de flammis ignis. ℟. Amen.

Libera, Domine, Animam Servi tui, sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis Regis Ægyptiorum. ℟. Amen.

Libera, Domine, Animam Servi tui, sicut liberasti Daniel de lacu leonum. ℟. Amen.

Libera, Domine, Animam Servi tui sicut liberasti tres Pueros de camino ignis ardentis, et de manu Regis iniqui. ℟. Amen.

Libera, Domine, Animam Servi tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine. ℟. Amen.

Libera, Domine, Animam Servi tui, sicut liberasti David de manu regis Saul, et de manu Goliae. ℟. Amen.

Libera, Domine, Animam Servi tui, sicut liberasti Petrum, et Paulum de carceribus. ℟. Amen.

Et sicut Beatissimam Theclam Virginem, et Martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris Animam hujus Servi tui, et tecum facias in bonis congaudere caelestibus. ℟. Amen.

OREMUS

Commendamus tibi, Domine, Animam Famuli tui N. precamurque te, Domine, Jesu Christe, Salvator mundi, ut propter quam ad

terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum Sinibus insinuare non renuas. Agnosce, Domine, creaturam tuam, non a Diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo, et vero, quia non est alius Deus praeter te, et non est secundum opera tua. Laetifica, Domine, Animam ejus in conspectu tuo, et ne memineris iniquitatum ejus antiquarum, et ebrietatum, quas suscitavit furor sive fervor mali desiderii. Licet enim peccaverit, tamen Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum non negavit, sed credidit, et Zelum Dei in se habuit, et Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit.

OREMUS

Delicta Juventutis, et ignorantias ejus, quaesumus, ne memineris, Domine; sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuae. Aperiantur ei Caeli, collaetentur illi Angeli. In regnum tuum Domine Servum tuum suscipe. Suscipiat eum Sanctus Michael Archangelus Dei, qui militiae caelestis meruit principatum. Veniant illi obviam Sancti Angeli Dei, et perducant eum in civitatem caelestem Jerusalem. Suscipiat eum Beatus Petrus Apostolus, cui a Deo claves Regni caelestis traditae sunt. Adjuvet eum Sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo Sanctus Joannes, electus Dei Apostolus, cui revelata sunt secreta caelestia. Orent pro eo omnes Sancti Apostoli, quibus a Domino data est potestas ligandi, atque solven-

di. Intercedant pro eo omnes Sancti Dei, qui pro Christi Nomine tormenta in hoc saeculo sustinuerunt, ut vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad gloriam Regni caelestis, praestante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Passio D. N. J. C. secundum Joannem.

In illo tempore: Egressus est Jesus cum Discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli ejus. Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum; quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. Judas ergo, cum accepisset cohortem, et a Pontificibus, et Pharisaeis ministros, venit illuc cum lanternis, et facibus, et armis. Jesus itaque sciens omnia quae ventura erant super eum, processit, et dixit eis; quem quaeritis? Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit eis: Ego sum; abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogavit eos: quem quaeritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me quaeritis, sinite hos abire; Ut impleretur sermo, quem dixit: quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum, et percus-

sit Pontificis servum, et abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam: Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? Cohors ergo et tribunus, et ministri Judaeorum comprehenderunt Jesum et ligaverunt eum, et adduxerunt eum, ad Annam primum; Erat enim Socer Caiphae, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judaeis: Quia expedit, unum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, et alius Discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, et introivit cum Jesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo Discipulus alius, qui erat notus Pontifici, et dixit Ostiariae et introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla Ostiaria: Numquid, et tu ex Discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Stabant autem servi, et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se: erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrina ejus. Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo. Ego semper docui in Synagoga, et in templo, quo omnes Judaei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis: Ecce hi sciunt, quae dixerim ego. Haec autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes Pontifici? Respondit ei Jesus: Si male lo-

cutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me caedis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid et tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, et dixit: Non sum. Dicit ei unus ex servis Pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negavit Petrus: et statim Gallus cantavit. Adducunt ergo Jesum a Caipha in praetorium. Erat autem mane, et ipsi non introierunt in Praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit: Quam accusationem affertis adversus Hominem hunc? Responderunt, et dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite ergo eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judaei: Nobis non licet interficere quemquam; ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. Introivit ergo iterum in Praetorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei: Tu es Rex Judaeorum? Respondit Jesus: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: Numquid ego Judaeus sum? Gens tua, et Pontifices tradiderunt te mihi; quid fecisti? Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judaeis; nunc autem regnum

meum non est hic. Dixit itaque ei Pilatus. Ergo Rex es tu? Respondit Jesus. Tu dicis, quia Rex sum ego; Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judaeos, et dixit eis: Ego nullam invenio in eo causam. Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis Regem Judaeorum? Clamaverunt ergo rursum omnes dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, et dicebant: Ave Rex Judaeorum; et dabant ei alapas: Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dixit eis. Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam. Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum. Et dicit eis: Ecce homo. Cum ergo vidissent eum Pontifices, et ministri clamabant, dicentes: Crucifige, Crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, et crucifigite; ego enim non invenio in eo causam. Responderunt ei judaei: Nos legem habemus; et secundum legem debet mori, quia filium DEI se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est praetorium iterum, et dixit ad Jesum: Unde es tu? Jesus autem re-

sponsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: mihi non loqueris? Nescis, quia potestatem habeo crufigere te, et potestatem habeo dimittere te? Respondit Jesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper; propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. Et exinde quaerebat Pilatus dimittere eum. Judaei autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris. Omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Caesari. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, et sedit pro Tribunali in loco, qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha. Erat autem parasceve Paschae, hora quasi sexta; et dicit Judaeis: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Caesarem. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. Et bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae locus, Hebraice autem Golgotha; ubi crucifixerunt eum, et cum eo alios duos hinc, et hinc; medium autem Jesum. Scripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super Crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus Rex Judaeorum: Hunc ergo titulum multi Judaeorum legerunt, quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus; et erat scriptum Hebraice, Graece, et Latine. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judaeorum: Noli scribere, Rex Judaeo-

rum, sed quia ipse dixit, Rex sum Judaeorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Milites ergo, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem haec fecerunt. Stabant autem juxta Crucem Jesu Mater ejus, et Soror Matris ejus Maria Cleophe, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus Matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suae: Mulier, ecce Filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Postea sciens Jesus, quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est, et inclinato capite tradidit Spiritum. (*Hic genuflectitur, et pausatur aliquantulum.*) Judaei ergo, (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent in Cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum au-

tem eum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit Sanguis, et Aqua. Et qui vidit testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus. Et ille scit, quia vera dicit, ut et vos credatis. Facta sunt enim haec, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo: Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt, in quem transfixerunt. Post haec autem rogavit Pilatum Joseph ad Arimathaea, (eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judaeorum) ut tolleret corpus Jesu: Et permisit Pilatus. Venit ergo, et tulit corpus Jesu. Venit ergo et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhae, et aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judaeis sepelire. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceven Judaeorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

Oratio ad Dominum Jesum Christum de singulis articulis Passionis ejus, dicenda a moriente, vel ab alio pro eo:

℣. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

OREMUS

Deus, qui pro Redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut Agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati, et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis, et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle, et aceto potari, et lancea vulnerari. Tu, Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam Crucem, et Mortem tuam libera me, (*vel si alius dicit pro eo*,) libera Famulum tuum N. a poenis inferni, et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas in saecula saeculorum. Amen.

JESU, Domine Deus noster, propter nomen tuum, Adjutor, et Salvator esto huic Animae, et lumen sanctae Fidei infunde, ut laeta veniat ad te. Exurge, bone Jesu, in adjutorium ejus, et ne repellas eam in finem; suscipe illam, et ne confundas eam ab expectatione sua; converte faciem tuam, et ab aeterna damnatione libera eam; succurre illi, ne opus manuum tuarum pereat; sentiat, quaeso, auxilium gratiae tuae, ut tecum vivat in aeternum. Qui cum Deo Patre, etc.

Oratio ad B. V. MARIAM.

Succurre ei, Domina piissima, Sanctissima Virgo Maria, in omnibus necessitatibus suis semper, et ubique, in praesentibus angustiis, et tribulationibus suis, in transitu Animae suae a corpore, et converte tribulationem, et angustiam suam in gaudium, et exultationem Animae suae. Adjuva eum Domina Sanctissima Maria, et libera eum a Principe tenebrarum, et a nequitiis, et horroribus ejus, et intercede, Sanctissima Virgo, ut bonum finem, et perseverantiam sanctam consequi mereatur. Deprecare benignissimum Filium tuum, verum Deum, et verum Hominem, ut ipse suscipiat Animam ejus in pace, qui ex te suscepit Carnem suam sanctissimam, et immaculatam, sine virili commixtione, Jesus Christus Dominus noster. Qui cum Patre, etc.

Tres piae, et utiles morientibus Orationes, cum tribus Pater noster, *et tribus* Ave Maria, *in agone mortis recitandae : Primo dicitur :* Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria.

OREMUS

Domine Jesu Christe, per tuam sanctissimam Agoniam, et Orationem, qua orasti pro nobis in monte Oliveti, quando factus est sudor tuus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram; obsecro te, ut multitudinem sudoris tui Sanguinei, quem prae timoris angustia copiosissime pro nobis effudisti, offerre, et ostendere digneris DEO Patri omnipotenti contra multitudinem

omnium peccatorum hujus Famuli tui N. et libera eum in hac hora mortis suae ab omnibus poenis, et angustiis, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Secundo dicitur: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui pro nobis mori dignatus es in Cruce, obsecro te, ut omnes amaritudines Passionum, et Poenarum tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in Cruce, maxime in illa hora, quando Sanctissima Anima tua egressa est de Sanctissimo Corpore tuo offerre, et ostendere digneris DEO Patri omnipotenti pro anima hujus Famuli tui N. et libera eum in hac hora mortis suae ab omnibus poenis, et passionibus, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Tertio dicitur: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui per os Prophetae dixisti: in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui; obsecro te, ut eamdem charitatem tuam, quae te de caelis in terram ad tolerandas omnium Passionum tuarum amaritudines attraxit, offerre, et ostendere digne-

ris Deo Patri omnipotenti pro Anima hujus Famuli tui N. et libera eum ab omnibus passionibus, et poenis, quas pro peccatis suis timet se meruisse. Et salva Animam ejus in hac hora exitus sui. Aperi ei januam vitae, et fac eum gaudere cum Sanctis tuis in gloria aeterna. Et tu, piissime Domine JESU Christe, qui redemisti nos pretiosissimo sanguine tuo, miserere Animae hujus Famuli tui, et eam introducere digneris ad semper virentia, et amoena loca Paradisi, ut vivat tibi amore indivisibili, qui a te, et ab electis tuis nunquam separari potest. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, etc.

Poterunt praeterea dici Psalmi: Confitemini. Beati immaculati. Retribue servo tuo. etc. *ut in Breviar. ad Primam.*

Orationes dicendae super Agonizantem.

O Sancta Trinitas, Pater, Fili, et Spiritus, alme, omnipotens, aeterne Deus, tua immensa attracti, ac multi pietate pro anima Famuli tui nunc in extremis laborantis, te deprecari compellimur et ipsam, Sanctissime Domine, tuae piissimae omnipotentiae commendamus: ut illam ab insidiis, aspectu quoque, et terrore Daemonum custodiendo tuearis, ne fidem repente perdens, quam tenuit, pessimae desperationis labatur in foveam, ne diffidentiae tentationibus cedat, ne praeteritorum scelerum recordatione desperet. Exaudi, Rex gloriose, propter tuam suavissimam, et clementissimam bonitatem pro ea interpellantes.

Exaudi, inquam, per orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per victoriam Martyrum, per fidem Confessorum, per Virginum puritatem, per devotam intercessionem omnium, qui tibi ab initio placuerunt, et tecum modo regnantes, inexcogitabili felicitate laetantur. Ab ipsa, Domine, jactantiam repelle, tribue compunctionem, suscita fletum, cor ejus mollifica: ab omnibus insidiis inimici illam tuere: fidei tuae lumine confirma; gratiae tuae infunde charitatem, ut in te Rex omnipotens, et in tua pietate confidens, omnium culparum vera contritione, ab intimis visceribus concutiatur. Clementissime Domine, omnia iniqua desideria ab illa rescinde; ignea tela Diaboli extingue, largire fontem lacrymarum, quibus iniquitatum suarum tergat maculas, vincula disrumpat. Fac eam Domine salubriter petere; audi, quae petit, atque celeriter exaudi. Si pie respicis, vivit; si despexeris, perit. Si justitia uteris, ante oculos tuos mortua faetet. Si misericorditer, ut tuam bonitatem decet, aspexeris, desperationis barathro revocatur. Respice, Domine Sancte Pater, Filii tui vulnera, et cruorem. Domine Jesu Christe, Rex piissime, qui venisti redimere perditos, noli damnare redemptos. Da illi, Domine cor pium, quod te timeat, sensum vigilem, qui te intelligat, simplicem oculum, et intentionem rectam, qua te sequatur. Domine Jesu Christe Fili Patris misericordiarum, et Reginae misericordiae gloriosae Virginis Ma-

riae, Animae hujus famuli tui miserere, et eam de Majestatis tuae sede clementer aspiciens, ab illa repelle tenebras, et eam splendoribus tuae claritatis illustra. Clementissime Domine Jesu, a tua pietate culparum ejus remissionem humiliter petimus, qui Deo Patri Mundum, tuo cruore grato redemisti. O fons pietatis, qui non consuevisti esse crudelis, tuae dilectissimae Genitricis preces ne spernas. O gloriosa Regina Mundi, Maria Virgo pulcherrima, Virgo misericors, quae genuisti Regem, velut Rosa decora, illos tuos misericordes oculos ad Servum tuum N. misericorditer converte. Tu, quae peccatorum advocata praedicaris, prima eorum spes, quae nulli claudere potes sinum tuae pietatis. O Misericordiae Mater! Ecce tempus patrocinandi, quando Famulus tuus N. Judicem iratum sentiens, protectionis tuae gratiam efflagitat. Eja ergo Advocata nostra, occurre ei velociter. O Gabriel Archangele, qui salutem Mundo nunciasti: O Sancte Michael, qui draconem Acherontis expugnasti: o Sancte Raphael, qui filium Tobiae justi salubriter deduxisti; O Angele custos hujus Dei Servuli. O caelestes Angelorum omnium chori, nec non Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Eremitarum, Virginum, omniumque justorum, per amorem ineffabilem Agni immaculati Jesu Christi, Regis vestri, qui vos de Mundo elegit, cujus laeta visione gaudetis, vos pro hujus nostri Fratris

Anima deprecamur, ut eam vestris precibus j vare dignemini; quatenus a Diaboli faucibus er pta, salvetur, et vestrae jucundissimae societ laeta jungatur. O Rex Clementissime, Deus mnipotens Salvator Mundi, Jesu pie, qui omnit in te sperantium misereri consuevisti; propt orationes Dei Genitricis, et omnium sanctoru Angelorum, et Electorum Dei, Famulo tuo quaesumus miserere; quatenus in Passionis tu merito, ac Sanguine, a peccatorum suorum m culis ablutus, aeternaliter in tuo Regno glori tur. Amen.

O suavissime Domine Jesu Christe, Beatoru requies, et omnium in te sperantium salus j cundissima; qui in nocte dirae Passionis tuae Patrem orasti dicens: Pater, si possibile es transeat a me Calix iste; veruntamen non m voluntas, sed tua fiat: Quique illa hora in tar fuisti angustia, ut de pretioso Corpore tuo Sa guis effueret, precamur te, bone Jesu, quat nus Animam Famuli tui N. tua solita pietate j ves, ut pro suis delictis conteratur, et move tur ad Poenitentiam salubrem; ut in hac ho tremenda, in occursu Adversarii non paveat nec in adventu, aut aspectu tuo, Judex treme de, accusante conscientia, contremiscat, sed p tius faciem tuam in jubilo videns laetetur, praestante, Jesu Christe, cujus est Passione r demptus. Amen.

O Dulcissime Rex, Jesu pie, qui tuae Passi nis horrenda nocte, a discipulis tuis destitutt

inter adversarios tuos, solus stetisti, tuae pietati supplicamus, ut animam Servi tui N. in suo obitu, solam non relinquas in manibus iniquorum Daemonum auxilio tuo destitutam, sed tua virtute, et tuorum Angelorum sanctorum societate securam, ad locum tuae beatissimae visionis, per Sanguinis tui virtutem, laetanter deducas. Amen.

O Domine Jesu Christe, decus, et gloria Sanctorum, qui pendens in Cruce pro tuis diris crucifixoribus Patrem rogasti dicens: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt; tuam pietatem precamur, pie Jesu, ut in mente Famuli tui N. orationis tuae renovare digneris affectum; quatenus offensarum omnium ab aeterno Patre veniam consequatur. Et sicut tunc exauditus fuisti, tu Domine, ac Rex, sic nunc, cum Patre, servos, ac milites tuos exaudire digneris pro Famulo tuo N. qui nescit quid faciat, dum fidei, et sensus exiguitate tepescit. Rogamus, pie Jesu, ut in obitu ejus, omnia sua peccata dimittas, et eum, pro tuae Passionis merito, ad Angelorum consortia deducas. Amen.

O sacratissime Domine, Jesu Christe Salvator, qui propter nostra scelera abolenda, post crudelia verbera, post pudibunda opprobria, post irrisivam, et afflictivam aculeorum Coronam in Cruce nudus, instar latronis affigi elegisti, exoramus te pie, per has tuas Passiones, ut Animam Famuli tui N. in extremis laborantis, suorum peccatorum dolorosa confessione verberes, vera

contritione confundas, et vero timore coron
et in Cruce tua omnes sensus mentales ejus
figas; quatenus totus a te spiritualiter vul
ratus; tuorum vulnerum merito, omnium d
ctorum suorum veniam consequatur, et ad g
dia caelestia perducatur. Amen.

O Gloriosissime Rex, Jesu Christe, Angelor
dulcedo, qui Cruci affixus pro nobis, ver
Fidei lucem cordi latronis infudisti, ut te ver
Deum omnipotentem, et verum Hominem f
retur, dum clamavit: Memento mei Domin
dum veneris in Regnum tuum; Majestatem tu
suppliciter exoramus, ut Famulo tuo N. in
tremis laboranti conservare digneris verae Fi
Sacramentum; ut sacratissimae tuae Passio
merito, tua veritate, tuoque amore loricatu
in suo obitu Spiritus immundos nequaquam
reatur, sed tuam perpetuam gloriam adeat ju
lanter. Amen.

O Clementissime Domine Jesu, Verbum
terni Patris, et Fili Virginis gloriosae, qui M
dum visibiliter deserens, et solitudini mater
compatiens, ei dilectum discipulum in fili
adoptasti, humiliter tuae Majestati supplicam
per merita tuae Passionis, et ejusdem tuae
clitae Matris preces, nec non tui dilecti di
puli, quatenus digneris in Animam Servi t
spiritum tuae charitatis infundere, in quo
bi cohaerendo Deo Patri adoptetur in Filiu
Committe, quaesumus, de Throno gloriae tu
hujus Famuli tui N. Animam clementissimae t

Matri, quatenus in mortis agone non paveat, sed virginalibus tibi manibus praesentata clementer suscipiatur a te in tua gloria, cum Sanctis tuis collocanda. Amen.

O Clementissime Domine Jesu, corona certantium, qui moriturus in Cruce docuisti nos compendiose tempore mortis orare, dicens: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, tuae Majestati supplicamus, ut, Spiritus Sancti virtute eamdem orationem menti Famuli tui N. digneris imprimere, ut in eo personet semper, et in hac extrema hora ejus sentiat effectum, in tuas sanctissimas manus suam animam commendando. Amen.

O misericordissime Domine Jesu, generis humani reparator, qui in die tuae acerbissimae Passionis, in nervorum contractione, ossium compressione, spinarum punctione, poenam acerbissimam tulisti, et latus tuum, unde Sanguis, et Aqua flueret, aperiri voluisti, deprecamur, Domine, ut animam Famuli tui N. virtutum splendore illustres, et spinarum tuarum merito, illi tribuas de offensis ab eo tibi illatis dolere vehementer, ut omnia ejus delicta tuae Passionis acerbitate deleantur, et ad Angelorum societatem, te ducente, valeat pervenire. Amen.

O clementissime Domine Jesu Christe, qui pro nobis in Cruce mori dignatus es, te precamur, ut omnes tuas Passiones, et amaritudines, quas pro nobis miseris in duro Ligno tulisti, praesertim quando Sanctissima Anima tua de virgi-

neo, et purissimo habitaculo tui corporis egressa est, offerre, et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti, contra omnes poenas, et Passiones Servi tui N. et liberare eum digneris in hoc suo transitu ab omnibus passionibus, et poenis, quas pro peccatis suis se contraxisse timet. Amen.

O Misericordissime Domine Jesu Christe; qui prophetico ore dixisti: in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui, humiliter supplicamus, quatenus eamdem charitatem, quae de Caelo traxit ad terras, laboraturum pro nobis, et moriturum, offerre, et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti, contra omnes Famuli tui N. passiones, et poenas, quas pro suis sceleribus meretur, et Animam ejus in suo obitu, per manus sanctorum Angelorum excipere. Aperi illi, benignissime Jesu, januam vitae, et regni Siderei, et in eo illum fac cum Sanctis tuis perpetua felicitate laetari.

O Piissime Dei, Hominumque Mediator, Jesu Christe, qui debitas nobis poenas, in tuo passibili corpore pro nostra salute tulisti, et ut eas gustares amariores in hora tuae Passionis, Deitatis, rationisque solatium a tuis sensibus sustulisti, eos destitutos omni consolatione in doloribus linquens, dum clamasti, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Oramus tuam pietatem, ut Animam Servi tui N. tua suavissima consolatione foveas, erigas, et laetifices.

Nam, si deseris illum, Pastor aeterne, mox Lupus rapax Diabolus in eum irruet crudelis,

et ovem, quam tuo Sanguine quaesivisti, jugulabit. Et si demeritis suis exigentibus, a te deseri meretur, te nihilominus propter tuam pietatem rogamus, ne illum tradas adversariis diffidentiae, et desperationis stimulis affligendum, nec ad gratiam tuam, durum, aut insensibilem effici patiaris, sed per charitatis tuae gratiam vivens, et absentiae tuae amaritudinem sentiens, pia voce gemendo clamet ad te: Deus meus, ut quid dereliquisti me? Tu autem, piissime Pater, ac bone Pastor, tu suavi pietate succurre, qui eum tibi tuo Sanguine redemisti. Amen.

Perfectissime Dei, hominumque Mediator, Jesu Christe Salvator, qui prae Solis ardore, et tormentorum asperitate, ac Sanguinis tui effusione, corporalem sitim in duro ligno tulisti, dum clamasti, sitio; tuam precamur Majestatem, ut Animam Famuli tui N. illo nunc amoris igne digneris adurere, quem in terris mittere venisti, ut cunctis vitiis exsiccatis, anima ejus, et caro tuae charitatis igne succensa, te solum sitiat, te diligat, te perquirat, ut te inveniens, te fruatur. Amen.

Sacratissime Domine Jesu Christe, omne bonum complens, atque consumens; qui gustato aceto dixisti: Consummatum est, et inclinato capite Spiritum Deo Patri reddidisti; supplicamus tuae Majestati pro Anima Famuli tui N. laborantis in mortis agone, quatenus illi Fidei lumen, et gratiae tuae sanctitatem infundas, ut horam extremam in tua sancta charitate finire,

et tibi dicere valeat: Ecce Clementissime Jesu nunc ad te venio, tua melliflua voce meum spiritum suscipi jube in aeternam claritatem. Amen.

O Clementissime Jesu, solatium miserorum, tu nostra peccata in tuo Corpore portasti, quia tu es vere Deus, de quo dixit Isaias: Languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, adeo ut in tuo virgineo pulcherrimo Corpore, a planta pedis usque ad verticem capitis, sanitas ulla non fuerit, et qui prae filiis hominum eras speciosus, quasi leprosus videris. Per hanc tuam ineffabilem charitatem precamur, pie Jesu, ut omnia peccatorum vulnera, in Famulo tuo N. sanes, quatenus, omnibus vitiis emendatus, ad te Regem, Factorem suum, spirituali solatio corroboratus, laetus perveniat, et quem tuo Sanguine comparasti, et tuae Passionis signo, idest, Sancta Cruce, muniri semper voluisti, ad tuam nunc felicissimam visionem, omnium Passionum tuarum merito, comitantibus sanctis Angelis, deducere digneris. Amen.

Orationes ad B. V. Mariam.

O Decus Coeli, Virgo, Regis aeterni Mater Sancta, propter illum te rogamus terrorem, quo tuum cor tremuit: quando dilectum tuum, et amantissimum Filium Jesum, ab impiis captum, ligatum, tractum, ab amicis autem omnibus derelictum audisti, ut Servulum tuum N. in extremis laborantem, et trementem adjuves,

ut de praeteritis culpis veraciter conteratur, et cor ejus supernis splendoribus irradiatum veraciter poeniteat; ne forte in occursu adversarii terreatur, aut in aspectu tremendi Judicis, accusante conscientia, contremiscat; sed potius, tuis precibus suffragantibus, faciem ejus in jubilo videns laetetur. Amen.

O Virgo suavissima, Dei Genitrix Maria, Stella maris, per eas te rogamus lacrymas, et singultus, quibus tuum nobile, et maternum cor angebatur, quando tuam spem, Jesum pulcherrimum praesentatum Praesuli cognovisti, innocentem accusatum, et contumeliis illusum, ut huic Famulo tuo N. lacrymarum gratiam impetres, et Fidei lumen indelebile, quo maculas, omnes delictorum suorum possit abluere. Et tu, Mater misericordiae, eum nunc celeriter adjuva, ne Sathanas illudere, aut variis tentationibus pro libito suae iniquissimae voluntatis affligere possit, aut tremendo Judici vinctum statuere; sed potius seipsum per lumen Fidei judicet in praesenti, ac disciplinis verae poenitentiae devote flagellet.

O sola sperantium omnium spes, Maria Regina Caelorum, propter illas te precamur angustias, quas tuum piissimum Cor tulit, quando tuus Filius, et noster Dominus Jesus Christus, Verbum aeterni Patris, clamantibus, et vociferantibus Judaeis, Crucifige, morti adjudicatus, et ignominioso Crucis suspendio addictus est; quatenus subvenias, clementissima Regina,

huic Servulo tuo N. in extremis laboranti, quia et corpus ejus infirmitatis dolore torquetur, et angustiatur Anima hinc Daemonum insidiis, hinc severae discussionis angustiis. Subveni, inquam, o Mater pietatis, et gratissima Virgo, ne contra illum feratur mortis aeternae sententia, aut flammis aeternalibus tradatur perpetuo cruciandus, sed tua potius intercessione praemia aeterna consequatur. Amen.

O Clementissima Virgo Maria, Dei Genitrix, propter illum, tibi supplicamus, gladium doloris, qui tuam pertransivit Animam, cum dilectissimum tibi Filium Jesum, nudum, et cruentum, et diris vulneribus confossum, in aere super Crucis ligno elevatum conspexisti, quatenus in hac hora terribili huic Famulo tuo N. sis adjutorium, ut compassionis gladio confodiatur, et vulneretur lancea Divini Amoris, ita ut omnium peccatorum sanguis noxius de corde ejus efflaat, vitiis mundetur, decoreturque virtutibus Divinis, quatenus toto desiderio terrena relinquens, in caelestia sublevetur, ad quae laetanter, te duce, perveniat. Amen.

O Maria, tribulatorum piissima consolatrix, per illud te rogamus horribile tormentum, quod paene tuum cor, omnesque tuos sensus extinxit, quando Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, te Joanni in Matrem, Joannem tibi in Filium delegantem audivisti; quatenus huic Famulo tuo N. subvenire digneris, qui ad te invocandam assurgere non potest, quippe oculi

ejus luce privantur, surdescunt aures, omnesque sensus obscurantur. O Mater pietatis, preces nostras exaudi, quas auribus tuae pietatis offerimus, atque Famuli tui N. Spiritum Filio tuo commenda, quatenus tuo pio interventu terrores Daemonum, tormentaque non timeat, sed desideratam Caelestis Patriae mansionem te comite laetus adeat. ℟. Amen.

O Deus, et gloria Virginum Maria, Jesu Christi Mater, propter tuos, te rogamus, ejulatus, quos de imo pectore prorumpentes abscondere non valebas, quando in amplexu Filii de Cruce depositi ruebas, et nitentes quondam genas, oraque rutilantia, pallore mortis occupata mirabaris; ut Famulo tuo N. suffragari, veluti pia Mater, digneris, quatenus sic de admissis criminibus doleat, ut ejus Anima mellifluis osculis, et amoris amplexibus Domini Jesu Christi, in Beatorum Regno fruatur. Amen.

O Maria, Virgo pulcherrima, Virgo humillima, Virgo clementissima, Virgo gratiosissima, propter suspiria, atque lamenta inaudita, quibus dulcissimum tuum cor excruciabatur, quando Animae tuae solatium unicum Jesum Filium tuum, et Salvatorem nostrum sepulturae tradi cernebas, adjuva Famuli tui N. Animam in hac lacrymarum valle laborantem, ut in egressu de corpore, virginalibus tuis manibus erepta, deducatur in Caelum. Amen.

Orationes ad Jesum Christum.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, et Re-

demptor Mundi, Ego miser peccator suppliciter rogo immensam misericordiam tuam, ut mihi eam confessionem in hora exitus mei concedere digneris, quam Latroni tibi in Cruce confitenti misericorditer concessisti. Praesta, Domine Deus meus, Rex piissime in hora exitus mei, ut Divina ultio non veniat super me, et potestas diabolica non occurrat mihi, nec noceat; sed tua gratia largiente, talem me dies extremus inveniat, qualem me fons regenerationis exhibuit. Deprecor ineffabilem gratiam, et misericordiam tuam, piissime Domine Jesu Christe, ut in hora exitus mei, non deneges mihi miserrimo peccatori tuam benignissimam opem, sed cum vera fide, certa spe, sincera charitate, facias me ad gaudia aeterna pervenire. Qui vivis, et regnas, etc.

Ne reminiscaris, Domine delicta mea, vel parentum meorum, neque vindictam sumas de peccatis meis, et in extremis meis non sinas inhaerere, et in me praevalere Diabolum, aut novissima mea deterrere potestatem tenebrarum; sed praesta per intercessionem omnium Sanctorum, ut, Angelo tuo praesente, transitus meus de saeculo, spe firma regatur, Fide Catholica muniatur, ac totus ipsius Animae exitus in te, et secundum te fiat, nec intermiscere se audeat Angelus malus, aut locum invadendi habeat tetra, et maligna cohors Diaboli. Concede mihi, Domine, ut in illa die, et hora, qua Animam a corpore jusseris separari, piam sententiam me-

reatur audire, et Angeli sancti perducant eam ad gaudium justorum. Amen.

Domine Jesu Christe, tibi in hac hora commendo Animam meam, sicut pro me dignatus es de Virgine nasci, in Crucem pati, mori, sepeliri, tertia die ab inferis resuscitari, et Coelos, quos nunquam tui Numinis praesentia deseruisti, voluisti adire; sic Animam meam liberare digneris ab aeterna morte. Ultra quam dici fas est, me peccatorem, et reum esse confiteor; sed tu, qui omnium peccatorum indultor, atque clementissimus es, quique misereris omnium, et nihil odisti eorum, quae fecisti, dissimulans peccata hominum, ad te recurrentium, qui peccatoris facinora, in quacumque die conversus ad te fuerit, et ingemuerit, oblivioni in perpetuum tradis; qui peccantibus pepercisti, et Mulieri deprehensae in adulterio dimisisti, et Magdalenae remisisti, Petro lacrymanti condonasti, et Latroni confitenti Paradisi januam aperuisti, mihi peccatori veniam ne deneges delictorum. Quidquid vitiosum est, quidquid in te peccavi, mihi remitte, et Animam meam in aeterna requie refovere digneris. Tu enim es ille, cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius, quia Animam a corpore separare, et ad meliorem vitam mittere solitus es. Qui dixisti, te malle vitam peccatoris, quam mortem. Credo corde, et ore confiteor; quia idcirco animam meam ab hac vita vis educere; ut post mortem meam in meliori vita facias

vivere. Quae sensus, et intellectum, quem nunc habet in me, meliorem habebit, et quantum differt umbra ab homine, tanto meliora possidebit in caelesti Regione. Domine Jesus Christe, totis visceribus meis, tibi confiteor, et credo, quod tu Redemptor meus vivis, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et in carne mea videbo te Deum Salvatorem meum, et oculi mei te conspecturi sunt. Omnia terrena mihi vilescant, et ad te Deum meum propero, qui, quod oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit, praeparasti diligentibus te. Ecce in manus tuas commendo Spiritum meum. Redemisti me, Domine Deus veritatis. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto, etc.

Ad Beatam Mariam Virginem.

Commendo, S. Maria, maternae pietati tuae extremum diem exitus mei, et deprecor te per Unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, ut in illa necessitate piam visitationem tuam, et consolationem habere merear. Et cum in ultimo agone mortis Anima mea turbata fuerit, tu, Domina Clementissima, recordaberis Animae meae, et venire in adjutorium meum dignaberis, et liberare Animam meam ab ira, et indignatione Filii tui, a confusione perpetua, et ab aeterna damnatione eripere procurabis. Defende animam meam, Sancta Maria, tua piissima protectione, a crudeli accusatione, et perduc eam in sinum Abrahae, ubi est certa requies Beatorum Justorum: Sancta, et hu-

maculata Virgo Maria, intercedere digneris pro me apud illum, cujus meruisti effici Templum, ut per orationes, et intercessiones benignitatis tuae misereatur mihi pius, et misericors Dominus. Qui vivit, etc.

Cum tempus expirandi institerit, tunc ab omnibus circumstantibus orationi instandum est, ipse vero moriens, vel, si non potest, Sacerdos pro eo dicat clara voce, ita ut audiat. JESUS: JESUS. JESUS. In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum. Domine Jesu Christe; suscipe Spiritum meum. MARIA Mater gratiae, dulcis parens clementiae, tu me ab hoste protege, et hac hora mortis suscipe: Sancta Maria ora pro me.

Egressa anima de corpore statim dicatur:

℟. Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes Animam ejus, offerentes eam in conspectu altissimi. ℣. Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinum Abrahae Angeli deducant te. ℟. Suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. Requiem aeternam, etc. ℟. Et lux perpetua, etc.

Offerentes eam in conspectu Altissimi.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem:

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animam ejus.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Tibi, Domine, commendamus Animam Famuli tui N. ut defunctus saeculo, tibi vivat, et quae per fragilitatem humanae conversationis peccata commisit, tu venia misericordissimae pietatis absterge. Per Christum Dominum etc.

Deinde dicatur quinquies Pater noster, *et* Ave Maria, *cum Ps.* De profundis, etc. *ut supra pag.* 69. *et Oratio sequens.*

OREMUS

Absolve, quaesumus Domine, Animam Famuli tui N. ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria, inter Sanctos, et electos tuos, resuscitatus respiret. Per Christum etc.

℣. Requiem aeternam dona ei Domine,

℟. Et lux perpetua etc.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

§ XV. *Modus administrandi Sacramentum Matrimonii.*

Praemissis tribus debitis denuntiationibus in diebus festis, et adhortatione Sponsorum, Sacerdos copulaturus primo interroget Sponsum.

N. Vis accipere N. hic praesentem in tuam legitimam Uxorem juxta ritum Sanctae Matris Ecclesiae? *Respondeat Sponsus*; Volo.

Mox Sacerdos Sponsam interroget. N. Vis accipere N. hic praesentem in tuum legitimum Ma-

ritum juxta ritum Sanctae Matris Ecclesiae? *Sponsa respondeat* : Volo.

Non sufficit consensus unius, sed debet esse amborum, et expressus aliquo signo sensibili; sive per se, sive per Procuratorem. Mutuo igitur contrahentium consensu intellecto, Sacerdos jubeat eos invicem jungere dexteras, dicens:

Ego conjungo vos in Matrimonium. In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Vel, si sit consuetudo, apposita Rosa super manus junctas, dicat:

Matrimonium inter vos contractum, Deus confirmet, et ego approbo, atque in facie Ecclesiae solemne facio. Quod Deus conjungit, Homo non separet. In nomine Patris ✝, et Filii ✝, et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Postea benedicatur Annulus.

Benedictio Annuli.

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℟. Qui fecit Caelum, et Terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Bene✠dic, Domine, annulum istum, quem nos in tuo nomine bene✠dicimus, ut qui eum gestaverit fidelitatem integram suo Sponso tenens, in pace, et voluntate tua permaneat, atque in mutua charitate semper vivat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos aspergat Annulum aqua be-

nedicta in modum Crucis, et Sponsus acceptum Annulum de manu Sacerdotis imponit in digito annulari sinistrae manus Sponsae Sacerdote dicente:

In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Ubi annuli vicissim dantur dicatur oratio in plurali.

Benedic ✠, Domine, Annulos istos, quos nos in tuo nomine Bene✠dicimus, ut qui eos gestaverint, fidelitatem integram invicem tenentes, in pace, et voluntate tua permaneant, atque in mutua charitate semper vivant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Sponsa vicissim imponit sponso annulum acceptum de manu Sacerdotis. Cetera ut supra. Demum Sacerdos subjungat:

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo Sancto tuo, quod est in Jerusalem.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Domine exaudi etc.

℟. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Respice, quaesumus, Domine, super hos Famulos tuos, et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste, ut, qui te auctore junguntur, te auxiliante serventur. Per Christum Dominum etc. ℟. Amen.

Aspergat eos aqua benedicta.

His expletis, si benedicendae sint nuptiae, Sacerdos Missam pro sponsis, ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus, quae ibi praescribuntur.

§ XVI. *Modus benedicendi Mulierem post primas Nuptias.*

Sacerdos Superpelliceo, et stola indutus, in Ecclesia ante Altare Muliere constituta, dicat:

℣. Adjutorium nostrum etc.

Postea Psal. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, etc. *ut supra p.* 55. *Et Ps.* Beati omnes, qui timent Dominum, etc. *supra p.* 67.

Deinde jubeat Feminam cum sociis genuflectere, et ipse stans dicat:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac Ancillam tuam.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Nihil proficiat inimicus in ea.

℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam, etc.
℟. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Praetende, Domine, Famulae tuae dexteram Caelestis auxilii, ut te toto corde perquirat, et quae digna postulat, consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, Creator Caeli, et Terrae, qui omnia de nihilo creasti, quique Adam protoplastum de limo terrae formasti, et Evam illi in adjutorium dedisti, eosque benedixisti, dicens: Crescite, et multiplicamini, et replete terram. Ne respicias ad peccata nostra, sed ad fidem Ecclesiae tuae, bene✝dicere digneris hanc Famulam tuam, una cum Marito suo; et da ei foecunditatem sobolis, atque de rore Caeli, et pinguedine terrae abundantiam. Benedic eis tam in domibus, quam in agris, et ubique, in jumentis, et pecoribus, omniumque possessioni, et rei familiari. Et tandem omni pietate, castitate, et morum honestate ordinatos in timore tuo, perduc eos ad vitam aeternam. Per Christum Dominum etc. Amen.

Et Benedictio Dei omnipotentis, Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti, descendat super te, et maneat semper. ℟. Amen.

Hic aspergens illum aqua benedicta, dicat:

Per hujus aquae aspersionem, det tibi Dominus gratiam, et benedictionem. Amen.

Quod si novi Conjuges desiderent bibere dē Vino benedicto, poterit illud benedici juxta formulam supram positam pag. 131 et deinde ipsis porrigi cum devotione.

§ XVII. *Modus benedicendi Mulierem post partum.*

Sacerdos Superpelliceo, et Stola alba indutus, ad fores Ecclesiae stans, Mulierem ad limina genuflectentem, et Candelam accensam in manu tenentem aspergat aqua benedicta, et dicat:

℣. Adjutorium nostrum etc.

Ant. Haec accipiet benedictionem a Domino.

Psalmus 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus: Or... terrarum, et universi, qui habitant i... ...eis.

Quia ipse super maria funda... ...eo. flumina praeparavit eum ...eum: et super

Quis ascendet ... ...m Montem Domini, aut quis stabit in ...oco sancto ejus?

...nnocens manibus, et mundo corde: qui non accepit in vano animam suam; nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum: quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? Dominus fortis, et potens; Dominus potens in praelio.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae.

Quis es iste Rex gloriae? Dominus virtutum ipse est Rex gloriae. Gloria Patri, etc.

Antiph. Haec accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo, quia haec est generatio quaerentium Dominum.

Vel omisso Psalmo, et Antiphona praecedente, dicatur sequens:

Antiph. Anima mea illi vivet. *Et Ps.* Laudate Dominum omnes gentes, etc. *ut supra pag.* 340. *Et repetitur Antiph.* Anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi.

Deinde porrigens ad manum Mulieris extremam partem Stolae, eam introducat in Ecclesiam dicens: Ingredere in Templum Dei, adora Filium B. Virginis, qui tibi foecunditatem tribuit prolis.

Et ipsa ingressa genuflectit coram Altare, et orat, gratias agens Deo de beneficiis; et Sacerdos dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac Ancillam tuam.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eam.

℣. Nihil proficiat inimicus in ea.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui per B. Mariae Virginis Partum fidelium parientium dolores in gaudium vertisti; respice propitius super hanc Famulam tuam, ad Templum sanctum tuum, pro gratiarum actione laetam accedentem, et praesta, ut post hanc vitam ejusdem B. Mariae meritis, et intercessione, ad aeternae Beatitudinis gaudia cum prole sua pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde illam aspergit iterum aqua benedicta in modum Crucis; dicens:

Pax, et Benedictio Dei omnipotentis, Patris ✠ et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti, descendat super te, et maneat semper. Amen.

§ XVIII. *Modus Benedicendi Mulierem in partu defunctam.*

Non est universalis hic ritus, quia introductio post partum proprie est ad gratiarum actionem; ubi tamen consuetudo est, satisfieri poterit pietati hoc ritu. Cum ad Ecclesiam pervenerit cadaver, sistitur ante fores, et intermisso a Cantoribus officio, Sacerdos ad illud conversus aspergit Aqua Lustrali, et incipit.

Antiph. Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?

Psal. De profundis clamavi, etc. *ut supra pag.* 69. *Repetitur Ant.* Si iniquitates observa-

veris, Domine, Domine, quis sustinebit?

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animam ejus.

℣. Requiescat in pace, ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui per B. Mariae Virginis Partum Fidelium Parientium dolores vertis in gaudium; et mortem in remissionem peccatorum dignaris admittere: respice propitius Animam Famulae tuae N. ut ejusdem B. Mariae meritis, et intercessione aeternae beatitudinis gaudia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergit iterum feretrum Aqua benedicta, et extendit Stolae extremitatem super hastam illius; portitores elevant, inferuntque in Ecclesiam, dicente Sacerdote:

Ingredere Ecclesiam Dei, ut vivas cum Deo in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Cantores prosequuntur intermiss[illegible]
de more usque ad sepulturam[illegible]

Pro conclusione, n[illegible]
quandoque nomi[illegible] [illegible]um Officium
gubinum [illegible]
utere [illegible]
[illegible] in benedictionibus
[illegible]ari S. Ubaldum Episcopum Eu-
[illegible] S. Antonium Paduanum, ex eo, quod
[illegible]ue, Sanctus sit specialis Patronus pro Dae-

monum infestationibus, occupationibus, maleficiis, aliisque operationibus, et nocumentis pellendis; poterit tamen cujuscumque Sancti, vel propriae Ecclesiae Patroni nomen addi.

Processio in Festo SS. Corporis Christi.
Evangelium Primum.

Postquam ad primum Altare perventum fuerit, Diaconus, si adsit, cum debita reverentia, et genuflexione accipiet de manu ipsius Sacerdotis stantis SS. Sacramentum, et illud super Altare collocabit. Interim canitur aliquod Mottetum, vel Responsorium.

Circa finem Motteti, vel responsorii, etc. Diaconus unus ex quatuor defert, et ponit librum super Altare; officiator benedicit, et imponit interim incensum; Diaconus vero, genuflexus ante Venerabile Sacramentum, dicit: *Munda cor meum etc.* et habita benedictione reverentiis debitis ante Officiatorem, dicit: *Jube Domne benedicere, etc.* et accepto libro, cum eo decantat, alio Diacono librum tenente, Evangelium primum.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Et signans librum, et seipsum in fronte, ore, et pectore, prosequitur.

Initium Sancti Evangelii secundum Matthaeum.
Interim, dum ℟. Gloria tibi Domine, *incensat librum triplici ductu.*

Liber generationis JESU Christi filii David,

filii Abraham: Abraham genuit Isaac: Isaac autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Judam, et fratres ejus: Judas autem genuit Phares, et Zaram de Thamar: Phares autem genuit Esron: Esron autem genuit Aram: Aram autem genuit Aminadab: Aminadab autem genuit Naasson: Naasson autem genuit Salmon: Salmon autem genuit Booz de Rahab: Booz autem genuit Obed ex Ruth: Obed autem genuit Jesse: Jesse autem genuit David Regem: David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quae fuit Uriae: Salomon autem genuit Roboam: Roboam autem genuit Abiam: Abias autem genuit Asa: Asa autem genuit Josaphat: Josaphat autem genuit Joram: Joram autem genuit Oziam: Ozias autem genuit Joatham: Joatham autem genuit Achaz: Achaz autem genuit Ezechiam: Ezechias autem genuit Manassen: Manasses autem genuit Amon: Amon autem genuit Josiam: Josias autem genuit Jechoniam, et fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis: Jechonias genuit Salathiel: Salathiel autem genuit Zorobabel: Zorobabel autem genuit Abiud: Abiud autem genuit Eliacim: Eliacim autem genuit Azor: Azor autem genuit Sadoch: Sadoch autem genuit Achim: Achim autem genuit Eliud: Eliud autem genuit Eleazar: Eleazar autem genuit Mathan: Mathan autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Joseph, Virum Mariae, de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus.

Sacerdos osculatur librum sibi delatum, dicens: per Evangelica dicta deleantur nostra delicta.

Amen. *Et incensatur more solito a Diacono. Facta incensatione, cantat Officiator.*

Per istos sermones Sancti Evangelii, et merita, ac intercessionem Sancti Matthaei Apostoli, et Evangelistae, indulgeat nobis Dominus universa crimina, ac delicta nostra. ℟. Amen.

Hinc Officiator cum Diaconis duobus assistentibus redit ad Venerabile Sacramentum, et facta reverentia ante illud stat, et canitur a Diaconis vel Cantoribus:

℣. Panem de caelo praestitisti eis. Alleluja.

Chorus. ℟. Omne delectamentum in se habentem. Alleluja.

Officiator canit stans versus Altare.

ORATIO.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti, tribue, quaesumus, ita nos Corporis, et Sanguinis tui sacra Mysteria venerari, ut Redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde Officiator, thurificato Sacramento, ut supra, accipit Monstrantiam cum debitis reverentiis, et stans versus populum, et omnes alios genuflexos, canit, respondente Choro.

℣. A fulgure, et tempestate.

℟. Libera nos, Domine JESU Christe.

℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.

℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Adjutorium nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

A Domo tua, quaesumus Domine, Spiritales nequitiae repellantur, et aerearum discedat malignitas tempestatum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde dat popolo benedictionem, cantans:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris † (*simplex Sacerdos producit unam tantum crucem*) et Filii †, et Spiritus Sancti †, descendat super vos, et super Fructus terrae, et maneat semper. Amen.

Evangelium secundum.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

✠ *Initium Sancti Evangelii secundum Marcum.*

℟. Gloria tibi Domine.

Initium Evangelii JESU Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te: Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Fuit Joannes in deserto, baptizans, et praedicans Baptismum Poenitentiae in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judaeae regio, Jerosolymitae universi, et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. Et erat Joannes vestitus pilis Cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus; et

locustas, et mel sylvestre edebat, et praedicabat dicens: Veniet fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. Ego baptizavi vos Aqua: ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto.

Sacerdos osculatur librum, dicens; Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta.

Et incensatur, sic etiam fit post reliqua Evangelia. Officiator vero canit.

Per istos sermones Sancti Evangelii, et merita, ac intercessionem Sancti Marci Evangelistae, indulgeat nobis Dominus universa crimina, atque delicta nostra. ℟. Amen.

Deinde Officiator redit cum duobus assistentibus Diaconis ad Venerabile Sacramentum, et facta reverentia a Diaconis canitur.

℣. Panem de Caelo praestitisti eis. Alleluja.

Chorus. ℟. Omne delectamentum in se habentem. Alleluja.

Officiator.

OREMUS

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti, tribue quaesumus, ita nos Corporis, et Sanguinis tui sacra Mysteria venerari, ut Redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Incensato, et assumpto Sacramento, Officiator versus populum stans canit.

℣. A peste, fame, et bello.

℟. Libera nos, Domine JESU Christe.
℣. Fiat Misericordia tua, Domine, super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.
℣. Domine exaudi etc.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Benedic, Deus omnipotens, locum istum, ut sit in eo sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, et mansuetudo, plenitudo legis, et gratiarum actio Deo Patri, Filio, et Spiritui Sancto: et haec Benedictio maneat super hunc locum, et super habitantes in eo, nunc, et in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde populum Benedicit, cantans.

Benedictio Dei omnipotentis Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super vos, et super Fructus terrae, et maneat semper. ℟. Amen.

Evangelium Tertium.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.
✠ *Initium Sancti Evangelii secundum Lucam.*
℟. Gloria tibi Domine.

Fuit in diebus Herodis Regis Judaeae, Sacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia, et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querela. Et non erat illis fi-

lius, eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suae ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit, ut incensum poneret, ingressus in templum Domini: et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est, videns; et timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem: et erit gaudium tibi et exultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt: erit enim magnus coram Domino: et vinum et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae: et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum: et ipse praecedet ante illum in spiritu, et virtute Eliae: ut convertat corda patrum in filios, et [illegible] lulos ad prudentiam justorum, parare [illegible] ebem perfectam.

Omnia serventur, [illegible], *post primum Evangelium.*

Per istos sermones sancti Evangelii, et merita, ac intercessionem Sancti Lucae Evangelistae, indulgeat nobis Dominus universa crimina, atque delicta nostra. ℟. Amen.

Diaconi assistentes, Venerabili Sacramento facta reverentia, canunt:

℣. Panem de caelo praestitisti eis, alleluja.

Chorus. ℟. Omne delectamentum in se habentem, alleluja.

OREMUS.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti; tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Incensato, et assumpto Sacramento, Officiator versus populum stans canit.

℣. A subitanea, improvisa, et perpetua morte.

℟. Libera nos, Domine Jesu Christe.

℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.

℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuae totus assistis, totus operaris; adesto supplicationibus nostris, et hujus loci, cujus es fundator, esto protector, ut nulla in eo nequitia contrarietatis obsistat, sed virtute Spiritus sancti cooperante, fiat hic tibi semper purum, gratumque servitium, et devota voluntas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Visita, quaesumus Domine, locum istum, et omnes insidias inimicorum ab eo longe repelle

et Angeli tui sancti habitent in eo, qui eum in pace custodiant, et bene✝dictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Evangelium quartum.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.
✠ *Initium sancti Evangelii secundum Joannem.*
℟. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VER-

BUM CARO FACTUM EST, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae, et veritatis.

Reliqua omnia sunt, ut supra; Officiator vero canit:

Per istos sermones sancti Evangelii, et merita, ac intercessionem S. Joannis Apostoli et Evangelistae, indulgeat nobis Dominus universa crimina, atque delicta nostra. ℟. Amen.

Deinde a duobus Diaconis assistentibus canitur:

℣. Panem de caelo praestitisti eis, alleluja.

℟. Omne delectamentum in se habentem, alleluja.

Officiator:

OREMUS

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti tribue; quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Ab omni malo.

℟. Libera nos, Domine JESU Christe.

℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.

℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Caelesti benedictione benedicatur, custodiatur, ac conservetur locus iste, et in eo habitantes, agri quoque, et terrae Fructus, in nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

ORATIO

Omnipotens sempiterne Deus, qui das escam omni carni, qui operis caelum nubibus, et paras terrae pluviam, et januas caeli aperis, qui transfers Austrum de caelo, inducis in virtute tua Africum, qui rigas montes de superioribus tuis, et de fructu operum tuorum satiabitur terra, qui Angelo praecepisti, ut terrae, mari, et arboribus non noceret; parce metuentibus, et propitiare supplicantibus. Te enim, Domine, supplices exoramus, ut procul abscedat incursio turbinum, calamitas tempestatum, et fragor grandinum, percussio fulminum, et quaelibet insidiae inimici temperentur, infesta tonitrua, noxiaeque pluviae, et ventorum flumina fiant moderate suspensa; omnis quoque Spiritus procellarum, et aereae tempestates dexterae tuae virtute prosternantur. Descendat, quaesumus Domine, desuper Spiritus sanctus, ut, fugatis omnibus contrariae potestatis virtutibus, Fruges manus servet Angelica, et post sopitos nubium impetus, in laudum, et devotionum spiritualium augmentum transeat comminatio tempestatis. Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Finita oratione, Sacerdos, thurificato ut supra Venerabili Sacramento, et superimposito humeris velo, surgit, ad Altare ascendit, factaque solita genuflexione, et accepta Monstrantia, stans versus quatuor Mundi plagas cantat, ac simul benedicit versus Orientem: A fulgure ✠ et tempestate. ℟. Libera nos, Domine JESU Christe. *Versus Meridiem:* A peste, fame ✠ et bello. ℟. Libera nos, Domine JESU Christe. *Versus Occidentem:* A subitanea, improvvisa ✠ et perpetua morte. ℟. Libera nos, Domine JESU Christe. *Versus Septentrionem:* Ab omni ✠ malo. ℟. Libera nos, Domine JESU Christe.

Psalmus 90. (*)

Qui habitat in adjutorio Altissimi: in protectione Dei coeli commorabitur.

Dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum; Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno.

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incursu, et daemonio meridiano.

(*) *Hic psalmus omissus fuit pag. 250, qui in editione Remondini, et in aliis etiam desideratur. At, re bene inspecta, illum hic adduximus, ut haec editio ceteris evadat acceptior.* Editor.

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis: et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem, et basiliscum ambulabis: et conculcabis leonem, et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit Nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: et ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri, etc.



TITULUS VII. (*)

De Benedictionibus adjunctis.

§ I. *De modo recipiendi ad beneficia ordinis Carmelitarum, et de benedictione habitus parvi B. M. V. de Monte Carmelo.*

Persona recipienda genuflectat ante Altare majus vel ante Altare Virginis : et tunc Superior, vel alius Frater, aut Sacerdos de licentia Superioris, habens facultatem cum superpelliceo et stola, incipiat Antiphonam.

Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terrae : justitia plena est dextera tua.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. *Salvum* fac *servum tuum.*

℟. Deus meus *sperantem* in te.

℣. Mitte *ei* Domine auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere *eum.*

℣. Nihil proficiat inimicus in *eo.*

℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere *ei.*

℣. Domine exaudi orationem meam.

(*) *Ecce aliae benedictiones in prefatione pag. 7 promissae.* Editor.

℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS *Oratio*

Suscipiat *te* Christus in numero fidelium suorum, et nos licet indigni *te* suscipimus in orationibus nostris. Concedat *tibi* Deus per Unigenitum suum, mediatorem Dei, et hominum, tempus bene vivendi, locum bene agendi, constantiam bene perseverandi, et ad aeternae vitae haereditatem feliciter perveniendi. Et sicut nos hodie fraterna charitas spiritualiter jungit in terris, ita divina pietas, quae dilectionis est auctrix et amatrix, nos cum fidelibus suis conjungere dignetur in caelis. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS *Oratio*

Adesto Domine, supplicationibus nostris, et *hunc famulum tuum*, *quem* in tuo sancto Nomine ad participationem omnium bonorum spiritualium et fraternitatem recipimus hujus sacrae Religionis beatae Genitrici tuae virgini et Matri Mariae specialiter dedicatae, bene✠dicere digneris: et praesta, ut te largiente, *devotus* in Ecclesia persistere *valeat* cum augmento virtutum: atque suffragiis hujusmodi sacri Ordinis *adjutus* vitam percipere *mereatur* aeternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde conversus ad habitum, dicat:

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine Deus virtutum, converte nos.
℟. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS. *Oratio.*

Suppliciter te, Domine, rogamus, ut super *hunc habitum servo tuo imponendem*, bene✠dictio tua benigna descendat; ut sit bene✠dictus: atque divina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilium, et invisibilium tela nequissima. ℟. Amen.

OREMUS *Oratio*.

Caput omnium fidelium Deus, et humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum, tuaeque Genitricis virginis Mariae de Monte Carmelo amorem, atque devotionem *servus tuus est delaturus*, dextera tua sancti✠fica; et hoc, quod per illum mystice datur intelligi, tua semper custodia corpore, et anima servetur: et ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus felicissime *perducatur*. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

OREMUS *Oratio*

Creator, Conservator, et Salvator omnium, largitor humanae salutis Deus, et dator gratiae spiritualis bene✠dictionem tuam super *hunc abitum* immitte: ut qui *eum gestaverit*, caelesti virtute *munitus*, fidem integram, spem firmam, et charitatem desideratam *teneat*, et a te numquam separari permittas. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aquam benedictam super habitum, et postea ipsum imponat personae recipienti, dicens:

Accipe vir devote. (*vel* mulier devota) hunc habitum benedictum: precantes sanctissimam Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat aeternam. ℟. Amen.

Deinde dicat:

Ego ex potestate mihi tradita et concessa, sus-

cipio ac recipio te ad participationem omnium orationum, disciplinarum, precum, suffragiorum, eleemosynarum, jejuniorum, vigiliarum, Missarum, Horarum Canonicarum, ac celerorum bonorum spiritualium, quae passim diu, noctuque (cooperante misericordia Jesu Christi) a Religiosis totius nostrae sacrae Religionis peraguntur. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Postea signo crucis benedicens personam recipientem, dicat:

Bene✠dicat te Conditor coeli, et terrae, Deus omnipotens, qui te eligere dignatus est ad beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmeli societatem, et Confraternitatem, quam precamur, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius: et tandem tamquam victor, palmam, et coronam sempiternae haereditatis *consequaris*. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergatur persona recipiens aqua benedicta.

Si mulier recipienda sit, vel plures simul recipiendi sint, mutetur genus, et numerus.

Sacerdos, postquam habitum Confratribus imposuerit, inscribat eorum nomina, et cognomina in libro Confraternitatis, admoneatque eos, quod habitus debet esse lineus nativi coloris, grisei ad nigredinem tendentis, debet habere duas partes et illum gestare debent non in cingulo, vel in pera, sed semper ad collum die, ac note: haec debent adimplere Confratres, ut in vita, et in mortis articulo consequantur plenariam Indulgentiam a Summis Pontificibus concessam.

Caeterum si infra annum Confratres exercent alia opera bona in Bullis Pontificiis assignatas, etiam plenariam, vel aliam Indulgentiam consequentur.

At vero, ut Confratres possint esse capaces adjutorii Beatae Mariae Virginis post mortem, seu ut valeant frui Bulla Sabbatina (quod est singulare, et praecipuum privilegium concessum solis deferentibus sacrum habitum Beatae Virginis Mariae de Monte Carmelo) praeter omnia supra dicta, debent servare castitatem in suo statu; item debent qui legere sciunt quotidie recitare Officium parvum Beatae Virginis, aut Officium Domini, qui vero legere nesciunt debent jejunare omnibus diebus ab Ecclesia praeceptis, atque feria quarta, et Sabbato, nisi in aliquo ex his diebus Nativitas Domini Nostri occurrerit, debent a carnibus abstinere, ubi non prohibetur solum esus carnium, sed etiam sanguis, lardus, sagina, et legumina, olera, aliaque pulmente cocta cum carnibus.

Qui autem haec omnia non semper servaverit, sed aliquid omiserit, si tamen postea se poenituerit, et firmiter sevare servanda iterum proposuerit adhuc hujus singularis adjutorii particeps fiet.

Si vero Confratres non potuerunt se abstinere a carnibus, et etiamsi non poterunt jejunare, accedant ad nostros Patres Confessarios, qui eorum obligationes commutabunt in alia pia opera aequivalentia.

Si tamen Maritus noluit praeparare proprium pulmentum pro uxore, filio, vel filia, permissum sit illis in propria domo, ne Marito, vel patri sint onerosi, pulmenta cocta cum carnibus comedere.

§ II. *Forma absolutionis plenariae a poenis, et a culpa dandae in articulo mortis Confratribus Sacri habitus B. V. Mariae de Monte Carmelo.*

Dicto Confiteor *ab infirmo, si potest, vel ab aliis,* Misereatur, *et* Indulgentiam *a Sacerdote, ab ipso Sacerdote postea subjungatur:*

Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, qui omnia mirabilia tormenta pro peccatoribus subiit, ut eos ad vitam revocaret, qui salvat omnes, et neminem vult perire, nec mortem peccatorum, sed vitam semper inquirit, ipse nunc sua piissima misericordia te respiciat: avertat omnem iram, et indignationem, atque per indulgentissima misericordiae suae viscera tibi remittat universa delicta, iniquitates tuas, et quascumque poenas ex rigore justitiae suae debitas. Ego autem ipsius Domini nostri Jesu Christi indignus famulus, et minister, ex auctoritate Ss. Apostolorum Petri et Pauli, ac Sanctae Romanae Ecclesiae; et ex privilegiis per Summos Pontifices concessis fratribus, et confratribus Sanctissimae Matris Mariae de Monte Carmelo; (atque ex licentia, potestate, et commissione mihi a Superioribus praedicti Ordinis imposita) ego in quantum possum, et debeo, declaro te consequi indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum tuorum, si tamen hac vice e vita migraveris, alias eamdem tibi reservo indulgentiam pro ultimo articulo mortis tuae; in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Item invocatis prius augustissimis nominibus Jesu, et Mariae ore, aut corde, et suffragantibus meritis, ac intercessionibus eorum, necnon omnium Sanctorum, atque Sanctarum Dei : Ego eadem auctoritate tibi dispenso super omni negligentia, si quam contraxisti in istum sacrum habitum deferendo, et declaro, ac significo te creaturam Dei fore absolutam hic, et ante tribunal Domini nostri Jesu Christi ab omnibus poenis tibi in purgatorio debitis, propter peccata, quae contra bonitatem Dei vivi, et veri commisisti, teque manifesto restitutam illi innocentiae, qua in baptismo per sacrum Salvatoris lavacrum induta fuisti ; in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

OREMUS

Dominus noster Jesus Christus, Pater misericordiarum, et consolator peccatorum, qui dixit : nolo mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur, et vivat, nec venit vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam, ipse sua ineffabili misericordia, et solita pietate ad veram cordis contritionem te vocet, et gratiam devotae poenitentiae inspiret, ut digne remissionem negligentiarum tuarum acquirere, et indulgentias hujus sancti Carmelitici habitus obtinere, atque cum electis ejus ad aeterna gaudia valeas feliciter pervenire, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, etc.

OREMUS

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ut istam Creaturam ad tuam sanctissimam imaginem creatam, tuo proprio sanguine redemptam, tua providentia ineffabili conservatam, gubernatam, custoditam, et salvatam, quam nos in tuo sancto nomine ad participationem omnium bonorum spiritualium ; et fraternitatem recipimus, bene ✠ dicere digneris, et praesta, ut te largiente, devote te diligat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, et suffragiis hujus sancti

ordinis beatae Virginis Mariae adjuta vitam percipere mereatur aeternam. Per Christum etc.

Maria Mater gratiae, Mater misericordiae, tu hanc ab hoste protege, et hora mortis suscipe.

℣. Ora pro ea, sancta Dei Genitrix,

℟. Ut digna efficiatur promissionibus Christi.

OREMUS

Defende, quaesumus Domine, Beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate creaturam tuam, et toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum etc.

In omni tribulatione et angustia succurrat tibi pia Virgo Maria, Amen.

Pax, et benedictio Dei Omnipotentis, Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti descendat super te, et maneat semper. Amen.

Alia forma absolutionis plenariae dandae in articulo mortis Confratribus Sacri habitus Beatae Virginis de Monte Carmelo.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, Sacerdos statim sequentem absolutionem ei impertiantur:

Concedo tibi Plenariam Indulgentiam peccatorum tuorum, facultate mihi concessa, et commissa (a Superioribus praedicti Ordinis) virtute Bullarum Ordinis nostri *vel* Ordinis Carmelitarum: quod si praesens mortis periculum, Deo favente, evaseris, sit tibi Indulgentia pro vero mortis articulo reservata, in nomine Pa † tris, et Fi†lii, et Spirtus † sancti. Amen.

§ III. *Conjuratio contra tempestates et grandinem imminentem.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini nostri Jesu Christi.

℟. Amen.

Symbolum S. Athanasii. Quicumque vult salvus esse, etc. *vel* Credo, etc. *usque in finem.*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Domine Jesu Christe, etc. *pag.* 310.

Postea conversus ad nubes, eas signo Crucis signans, dicat:

Circumdet te nubes, Deus Pa✠ter: circumdet te Deus Fi✠lius: circumdet te Deus Spiritus✠sanctus: Destruat te Deus Pa✠ter: destruat te Deus Fi✠lius: destruat te Deus Spiritus✠sanctus. Amen.

Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus et immortalis miserere nobis. Dispergat vos Deus, ne nobis noceatis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Ecce Cru✠cem Domini, fugite partes adversae: vicit Leo de tribu Juda, radix David. Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

§ IV. *Benedictio in articulo Mortis impertienda.*

Minister dicat: Pax huic domui etc. *postea aegrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat aqua benedicta dicendo Antiphonam* Asperges me, etc.

℣. Adjutorium nostrum, etc.

℟. Qui fecit caelum et terram.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (*vel* ancillae tuae), neque vindictam sumas de peccatis ejus.

Kyrie eleison. Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas etc.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* ancillam tuam).

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem, secundùm multitudinem miserationum tuarum, respice propitius famulum tuum N., (*vel* ancillam tuam N.,) quem tibi vera fides, et spes Christiana commendant. Visita eum (*vel* eam) in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem, et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, et veniam clementer indulge; ut ejus anima in hora exitus sui, Te Judicem propitiatum inveniat, et in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum dicto ab uno ex Clericis adstantibus, Confiteor etc. *Sacerdos dicat:* Misereatur etc. *Deinde:*

Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat Confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti: et ego, facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, Indul-

gentiam plenariam; et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Per sacrosancta humanae reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis et futurae vitae poenas, Paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus ✠ Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque Confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur; dummodo saltem contritus nomen Jesu, ore, si potuerit, sin minus corde, devote invocaverit, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Dei, patienti animo, atque alacri susceperit.

§ V. *Benedictio Rosarii, seu Coronae sex decadum, vulgo dictae* di S. Brigida.

Missionarius indutus (si commode potest) superpelliceo, et stola, junctis manibus, mente ad Deum elevata, oculisque ad caelum intentis, una cum spiritu fidei, et intentione elargiendi Indulgentias dictis Coronis, prius, ut fertur, a Christo Domino divae Birgittae donatas, et postea a Sancta Sede concessas, vel confirmatas, manu dextera illas Coronas benedicet, dicens his verbis:

In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

§ VI. *Benedictio Numismatum, et Imaginum ex metallo confectarum, vulgo* Medaglie, e Crocifissi.

Missionarius indutus, ut supra, in spiritu Charitatis, et Fidei, cum intentione concedendi Nu-

mismatibus, *Crucibus*, *et Imaginibus ex quocumque metallo confectis*, *Indulgentias ob Ecclesia*, *pia Matre*, *concessas*, *elevata manu dextera*, *ea omnia benedicens*, *dicat :*

In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti. Amen.

§ VII. *Benedictio, quoad Imagines pictas, vel sculptas.*

Hujusmodi Benedictio impartitur juxta Rituale Romanum.

℣. Adjutorium nostrum etc.
℟. Qui fecit caelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum Imagines (*sive effigies*) sculpi, *aut* pingi non reprobas: ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus, et sanctitatem ad imitandum memoriae oculis meditemur: hanc, quaesumus, imaginem, *seu* sculpturam in honorem, et memoriam *Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi*, vel *Beatissimae Virginis Mariae matris Domini nostri Jesu Christi*, vel *Beati N. Apostoli tui*, vel *Martyris*, vel *Confessoris*, aut *Pontificis*, aut *Virginis* adaptatam, bene✠dicere et sancti✠ficare digneris; et praesta: ut quicumque coram illa, *Unigenitum Filium tuum*, vel *Beatissimam Virginem*, vel *gloriosum Apostolum*, sive *Martyrem*, sive *Confessorem*, aut *Virginem*, suppliciter colere, et honorare studuerit; illius meritis, et obtentu a te gratiam in praesenti, et aeternam glo-

riam obtineat in futurum. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. (1)

§ VIII. *Benedictio Rosarii quinque, decem, aut quindecim decadum.*

Indulgentiae hujusmodi apponuntur hac prece ab Innocentio XI. adprobata.

℣. Adjutorium nostrum etc.

℟. Qui fecit caelum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Omnipotens, et misericors Deus, qui propter eximiam charitatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum Unigenitum Dominum nostrum, de Caelis in terram descendere, et de Beatae Virginis Mariae Dominae nostrae utero sanctissimo, Angelo nuntiante, carnem suscipere, crucemque, et mortem subire, et tertia die gloriose a mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli: obsecramus immensam clementiam tuam, ut haec signa Rosarii in honorem, et laudem ejusdem Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicata, bene✠dicas, sancti ✠ fices, eisque tantam infundas virtutem Spiritus sancti, ut quicumque horum quo-

(1) *Facultate hac potiuntur Sacerdotes nostri, Neapoli, et in Dioecesi, quoties Missiones peragunt; quia ab Archiepiscopo eis talis est data potestas. In Missionibus vero per Regnum, et alibi, bene ea uti possunt, cum ab cujusque loci Ordinario eamdem acceperint.* Editor.

libet secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, et in eis ad Te, secundum ejusdem Sacrae Societatis instituta, divina contemplando mysteria, devote oraverit; salubri, et perseveranti devotione abundet, sitque consors, et particeps omnium Gratiarum, Privilegiorum, et Indulgentiarum, quae eidem Societati per Sanctam Sedem Apostolicam concessa fuerunt, ab omni hoste visibili, et invisibili semper, et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo ab ipsa Beata Virgine Maria Dei Genitrice, Tibi plenus bonis operibus praesentari mereatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

§ IX. *Benedictio Candelarum, quibus Fratres, et Sorores Societatis SS. Rosarii B. M. V. utuntur, in articulo mortis, quibusque adnexae sunt Indulgentiae.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℟. Qui fecit caelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Domine Jesu Christe, lux vera, qui illuminas omnem hominem, venientem in hunc Mundum, effunde per intercessionem Virginis Mariae Matris tuae, et per quindecim ejus Rosarii Mysteria, Bene ✠ dictionem tuam super hos cereos, et candelas: et sanctifica eas lumine tuae gratiae, et concede propitius, ut, sicut luminaria, igne visibili accensa, nocturnas depellunt tenebras; ita corda nostra invisibili igne, ac Spiritus sancti splendore illustrata, omnium vitiorum caecitate careant,

ut puro mentis oculo cernere semper possimus quae tibi placita sunt, et nostrae saluti utilia; quatenus, post hujus saeculi caliginosa discrimina, ad lucem indeficientem pervenire mereamur. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti etc. *Asperguntur aqua benedicta.*

§ X. *Benedictio in articulo mortis, cum Indulgentia plenaria, danda Fratribus, et Sororibus SS. Rosarii infirmis a nostris Missionariis, tempore Missionis, et ubi non adsunt Conventus Ordinis PP. Praedicatorum.*

Forma Benedictionis hujus est juxta formam Innocentii XI.

Dicto Confiteor etc. Misereatur etc. Indulgentiam etc. *subjungit:*

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui B. Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam Misericordiam recipiat Confessionem tuam, et remittat tibi omnia peccata, quaecumque, et quomodocumque in toto vitae decursu commisisti, de quibus, corde contritus, et ore confessus es, restituens tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti, et per Indulgentiam plenariam a Summo Pontifice Innocentio VIII. Confratribus Sanctissimi Rosarii, in articulo Mortis constitutis concessam, liberet te a praesentis, ac futurae vitae poenis, dignetur Purgatorii cruciatus remittere, portas Inferni claudere, Paradisi januam aperire, et ita ad gaudia sempiterna perducere, per Sanctissima suae Vitae, Passionis, et Glorificationis Mysteria, sanctissimo Rosario comprehensa, qui cum Patre, et Spiritu sancto Deus unus vivit, et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

§ XI. *Benedictio, cum Indulgentiis, donanda Coronis septem decadum, in honorem septem Dolorum B. M. V.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℟. Qui fecit caelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Omnipotens, et misericors Deus, qui propter nimiam Charitatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum Unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum pro Redemptione nostra de Caelis ad terram descendere, et carnem suscipere, et Crucis tormentum subire voluisti: obsecramus immensam clementiam tuam, ut hanc Coronam in memoriam septem Dolorum Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicatam bene✠dicas, et ei tantam Spiritus sancti virtutem infundas; ut quicumque eam recitaverit, et secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, ab omni hoste visibili, et invisibili semper, et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo a Beatissima Virgine Maria tibi bonis operibus coronatus praesentari mereatur. Per eumdem Dominum nostrum etc.

Aspergatur aqua benedicta.

§ XII. *Benedictio parvi habitus Septem Dolorum B. M. V.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℟. Qui fecit caelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui morte Unige-

niti tui mundum collapsum restaurare dignatus es, ut nos a morte aeterna liberares, et ad gaudia regni caelestis perduceres, respice quaesumus super hanc Familiam Servorum tuorum, in nomine Beatae Virginis Matris tuae septem Doloribus sauciae congregatam, de cujus gremio hi famuli tui (*vel* famulae tuae) esse cupiunt, ut augeatur numerus tibi fideliter servientium, utque omnibus saeculi, et carnis perturbationibus liberati, et a laqueis diaboli securi, intercessione ejusdem B. M. V., et Beatorum Philippi, et septem PP. Ordinis Servorum Fundatorum, vera gaudia possideant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Completa supradicta hac Oratione, benedicuntur parvi habitus, oratione sequenti.

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui tegmen nostrae mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam largitatis tuae abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod Sancti Patres, ad innocentiae, humilitatisque indicium, et in memoriam Septem Dolorum B. M. V., nos ferre sanxerunt, ita bene ✠ dicere digneris, ut qui illis fuerint induti, corpore pariter, ac animo induant te Salvatorem nostrum. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postea aspergatur aqua benedicta dicens: Asperges me, etc.

Peracta hac benedictione, unusquisque flexis genibus, ponat supra se dictum parvum habitum, et Missionarius dicat:

Accipe charissimi Fratres (*vel* Sorores) habitum B. M. V. singulare signum servorum suorum, in memoriam septem Dolorum, quos Ipsa in vita, et morte Unigeniti Filii sui sustinuit, ut ita induti, sub ejus Patrocinio perpetuo vivatis.

Benedictio Dei omnipotentis ✠ Patris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti descendat super vos, et maneat semper. ℟. Amen.

Passio Domini nostri Jesu Christi, et compassio B. M. V. sit in corde, et corpore vestro. ℟. Amen.

§ XIII. *Benedictio in articulo mortis danda Fidelibus, societati septem Dolorum B. M. V. adscriptis, tempore Missionis, a nostris Sacerdotibus, ubi non sunt Conventus PP. Servorum Mariae.*

Dicto Confiteor etc. Misereatur etc. Indulgentiam. etc. *Sacerdos Missionarius hac formula utatur:*

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam, te absolvat, recipiatque confessionem tuam, et remittat tibi omnia peccata quaecumque, et quomodocumque in toto vitae decursu commisisti, de quibus corde contritus, et ore confessus es, restituens tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti: et per Indulgentiam plenariam, a Summo Pontifice Paulo V. Confratribus Societatis septem Dolorum B. M. V., in articulo mortis constitutis concessam, liberet te a praesentis, et futurae vitae poenis; dignetur Purgatorii cruciatus remittere, portas Inferni claudere, Paradisi januas aperire, teque ad gaudia sempiterna perducere, qui cum Patre, et Spiritu sancto Deus unus vivit, et regnat, in saecula saeculorum. ℟. Amen.

OREMUS

Interveniat pro hoc famulo tuo infirmo (*vel* hac famula tua infirma) quaesumus, Domine Jesu Christe, nunc et in hora mortis suae, apud tuam clementiam B. Virgo Maria, Mater tua, cujus Sacratissimam animam in hora tuae passionis doloris gladius per-

transivit. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas, in saecula saeculorum. ℟. Amen.

§ XIV. *Benedictio, seu potius modus erigendi, et instituendi Societatem septem Dolorum B.M.V. a Sodalibus Congregationis S. M. Puritatis, qui hac facultate pollent, tempore Missionis, et in locis, ubi non sunt Conventus Ordinis PP. Servorum Mariae.*

Ego N. N. Sacerdos Congregationis Presbyterorum saecularium Missionariorum, sub titulo S. M. Puritatis, Civitatis Neapolis, auctoritate Nobis Concessa a Reverendissimo P. Fratr. N. N., Priore Generali totius Religionis Servorum Mariae, in Ecclesia N. Civitatis N. (vel Terrae N.), Dioecesis N., instituo, erigo, atque planto Societatem habitus septem Dolorum B. M. V., eamque institutam, erectam, atque plantatam declaro cum omnibus Gratiis, Privilegiis, et Indulgentiis, quibus hujusmodi Societates potiri, frui, et gaudere solent ad laudem, et honorem omnipotentis Dei, Beatae semperque Virginis Mariae, ac septem Beatorum Patrum Fundatorum Ordinis Servorum, S. Philippi Benitii, ac omnium Sanctorum Dei, ad animarum salutem.

In nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

§ XV. *Benedictio, seu formula benedicendi, et imponendi Scapulare Caeruleum Conceptionis B. M. V. Immaculatae a Clemente Papa XI. adprobata anno 1710. pro Sodalibus Congregationis S. Mariae Reginae Apostolorum, qui soli hac Facultate gaudent.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℟. Qui fecit caelum et terram.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui tegmen nostrae mortalitatis induere dignatus es, tuae largitatis clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem, et memoriam Conceptionis B. M. V. Immaculatae, nec non ut illo induti exorent in hominibus pravorum morum reformationem, institutum fuit, bene ✠ dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui eo usus fuerit (*vel* haec famula tua, quae eo usa fuerit), eadem B. M. V. intercedente, te quoque induere mereatur. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos adspergens scapulare aqua benedicta, nihil dicit; tum illud imponendo, dicit:

Accipe Frater, (*vel* Soror) scapulare Conceptionis B. M. V. Immaculatae, ut ea intercedente, veterem hominem exutus, (*vel* exuta) et ab omni peccatorum inquinamento mundatus (*vel* mundata), ipsum perferas sine macula, et ad vitam pervenias sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Postea subjungit:

Et Ego, ex facultate mihi concessa, recipio te ad participationem bonorum omnium spiritualium, quae in Clericorum Regularium Congregatione ex gratia Dei fiunt, et quae per Sanctae Sedis Apostolicae privilegium concessa sunt. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti. Amen.

Demum nomen ejus, qui supradictum habitum suscepit, describatur in libro consueto, et ipse dicat trina vice, et flexis genibus:

Laudetur semper SS. Eucharistiae Sacramentum; semperque benedicatur inviolata puritas, et Immaculata Conceptio B. M. V.

§ XVI. *Modus impertiendi Pontificiam Benedictionem in articulo mortis, qua utuntur PP. Ministri infirmorum S. Camilli de Lellis.*

Dicto Confiteor etc. Misereatur *etc.* Indulgentiam *etc. Sacerdos subjungit* :

Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei vivi, qui pro mundi redemptione de Virgine nasci dignatus est, redimat te a malo; et per Indulgentiam a Sanctissimo Domino nostro Alexandro VII. huic sacrosanctae Imagini Crucifixi concessam, et per me tibi delatam, liberet te ab omnibus poenis, ac dignetur Purgatorii cruciatus remittere, portas inferi claudere, paradisi januam aperire, atque ad gaudia sempiterna perducere, per sacratissima mysteria Redemptionis humanae. Qui vivit; et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

§ XVII. *Benedictio altaris recenter erecti.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Supplices te deprecamur, Omnipotens aeterne Deus, et Unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, ut Altare hoc sanctis usibus praeparatum caelesti bene✠dictione sanctifices; ut sicut Melchisedech Sacerdos praecipue oblationem dignatione mirabili suscepisti, ita imposita novo Altari munera semper accepta ferre digneris, ut populus, qui in hanc Ecclesiae domum Sanctam communiet et haec libamina caelesti sanctificatione, cri-

minum quoque suorum salutem perpetuam consequatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.
Aspergatur Altare aqua benedicta.

§ XVIII. *Benedictio animalium in die S. Antonii Ab.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
Dicatur evangelium S. Joannis, ut in secunda Missa Natalis Domini. pag. 161.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, cujus verbo caeli firmati sunt, cui omnis creatura deservit, et omnis potestas subjecta est; Tu ab hoc jumento omnes diaboli fraudes repelle, ferarum incursus amove, venena rescinde, illudque ab omnibus infirmitatibus, adversitatibus et periculis libera. Et per Sanctissimum Nomen Filii tui dulcissimi, et per intercessionem Beatissimae Virginis Matris ejus, ac per merita Sancti Antonii Abbatis, omniumque electorum tuorum conservare digneris hoc jumentum, illudque salvificare, foecunditatemque ei tribuere, et tua efficacissima benedictione, replere omnia quae usui hujus jumenti adaptantur et adaptanda erunt. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti. ℟. Amen. *Postea aspergatur aqua benedicta.*

§ XIX. *Benedictio olei S. Blasii Episc. et Mart.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Omnipotens et mitissime Deus qui omnium mundi rerum diversitates solo verbo creasti, et ad hominum reformationem illud idem Verbum, per quod facta sunt omnia, incarnari voluisti; qui magnus es et immensus, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia pro cujus fidei confessione gloriosus Martyr et Pontifex Blasius diversorum tormentorum genera non pavescens, martyrii palmam feliciter est adeptus: quoque eidem inter ceteras gratias hanc praerogativam contulisti, ut quoscumque gutturis morbos tua virtute curaret; majestatem tuam suppliciter exoramus: ut non inspectu nostri reatus sed ejus placatus meritis et precibus, hanc creaturam Olei bene✠dicere et sancti✠ficare tua mirabili pietate digneris, tuam gratiam infundendo: ut omnes qui ex eo bona fide uncti fuerint, a quocumque gutturis morbo gravatos se senserint, ipsius passionis meritis liberentur; et in Ecclesia sancta tua sani et hilares tibi gratiarum referant actiones: et laudent nomen tuum gloriosum, quod est benedictum in saecula saeculorum. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur oleum aqua benedicta.

§ XX. *Benedictio aquae cum Reliquia S. Francisci Xaverii.*

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Supplices te rogamus omnipotens Deus ut hanc creaturam aquae bene✠dicere et sancti✠ficare digneris, ut quicumque ex ea biberint vel in quibuscumque infirmitatibus aut necessitatibus usi fuerint, per pre-

tiosum Sanguinem D. N. J. C., per auxilium Beatissimae semper Virginis Mariae, et per intercessionem Santi Francisci Xaverii Indiarum Apostoli, totius fortitudinis ac sanctitatis dulcedine perfruamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, salus aeterna credentium: exaudi nos pro famulis tuis infirmis, pro quibus misericordiae tuae imploramus auxilium, ut reddita sibi sanitate gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actiones. Per Christum Dominum, etc.

OREMUS

Deus qui Indiarum gentes Sancti Francisci praedicatione et miraculis Ecclesiae tuae aggregare voluisti; concede propitius, ut cujus gloriosa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde signatur aqua cum Reliquia dicendo:

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ sancti descendat super hanc Aquam et maneat semper. Amen.

Si adhibendae sint Reliquiae alicujus Sancti, dici potest:

Potentia Dei Patris. Sapientia Dei Filii, Virtus Spiritus Sancti per merita pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. Crucifixi, nec non Sanctissimae Virginis Mariae Matris suae, et per intercessionem Sancti (*vel* Sanctae N. N.) liberet te ab omni malo quo labores, ut possis Dominum Deum tuum laudare eique benedicere, et gratias in Ecclesia sua sancta referre. In nomine Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ sancti. Amen.

Adhibitis Reliquiis dicitur:

OREMUS

Misericordiae tuae remediis quaesumus Domine, fragilitas nostra subsistat, ut quae sua conditione at-

teritur, tua clementia reparetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

§ XXI. *Benedictio S. Lutgardae V. Ordinis Cisterciensis praegnantibus mulieribus.*

I+. N+. R+. J.

Jesus Christus mundi salus et Dominus qui te traxit ad fidem Catholicam, te in ea conservet et beatam faciat, et meritis Beatae Mariae semper Virginis et per intercessionem et promissionem, factam Beatae Lutgardae liberet te a doloribus partus et liberet prolem a periculo mortis. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

§ XXII. *Benedictio pro illis, qui renibus laborantes intercessionem S. Liborii Episc. et Conf. implorantes.*

Salmo 19.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto: et de Sion tucatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui: et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum: et omne consilium tuum confirmet.

Laetabimur in salutari tuo: et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de coelo sancto suo: in potentatibus salus dexterae ejus.

Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt, et ceciderunt: nos autem surreximus, et erecti sumus.

Domine, salvum fac regem: et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Gloria Patri, etc.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthaeum

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Cum introiisset Jesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. Et ait illi Jesus: Ego veniam, et curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic: Vade, et vadit: et alii, Veni, et venit servo meo, Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno coelorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, et stridor dentium. Et dixit Jesus Centurioni: Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

℟. Laus tibi Christe.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo

℣. *Salvum* fac *populum tuum.*

℟. Deus meus *sperantem* in te.

℣. Domine exaudi etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Ne despicias, omnipotens Deus, famulum tuum, (*vel* famulam tuam) in afflictione clamantem: sed propter gloriam nominis tui, tribulatis succurre placatus. Per Christum Dominum, etc.

Christi Praesul egregius
Pro nobis hic Liborius
Oret Deum altissimum;
Ne pro culpa peccaminum.
Morbo vexemur calculi,
Succurrant nobis Angeli,
Et post vitae certamina
Ducant ad vera gaudia.

℣. Ora pro nobis, beate Libori.

℟. Ut a calculi doloribus mereamur erui.

OREMUS

Deus, qui beatum Liborium Pontificem, aliis innumeris clarum miraculis, speciali in medendi Urinarum, et Calculi doloribus, privilegio decorasti: tribue quaesumus; ut ejus meritis, et intercessione; ita ab iis, et ab aliis malis eruamur, et gaudiis perfrui mereamur aeternis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si praesto sit S. Liborii Reliquia, hac signetur patiens, dicendo:

Per intercessionem Beati Liborii, secundum suam piissimam misericordiam, liberet te Deus a praesenti infirmitate, et ab omnibus malis mentis, et corporis. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Postea aspergatur aegrotus aqua benedicta addit :

Benedictio Dei omnipotentis , Patris ✠ , et Filii ✠ , et Spiritus ✠ sancti descendat super te , et maneat semper. Amen.

§ XXIII. *Benedictio pro illis, qui dentibus laborant intercessionem S. Apolloniae Virginis et Martyris implorantes.*

Psalm. 19. Exaudiat te Dominus, etc. *ut supra pag.* 464.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Marcum.

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore : Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus : et exprobravit incredulitatem eorum , et duritiam cordis : quia iis , qui viderant eum resurrexisse , non crediderunt. Et dixit eis : Euntes in mundum universum , praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit , et baptizatus fuerit , salvus erit : qui vero non crediderit , condemnabitur. Signa autem eos , qui crediderit , haec sequentur : In nomine meo daemonia ejicient : linquis loquentur novis : serpentes tollent, et si mortiferum quid liberint , non eis nocebit : super aegros hic manu dextera super caput infirmum catensa prosequitur (*ponatur manus dextera super caput aegroti*) manus imponent , et bene habebunt.

℟. Laus tibi Christe.

Kyrie eleison. Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster , etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. *Salvum fac servum tuum.*

℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Domine exaudi, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Ne despicias, omnipotens Deus, etc. *ut supra pag.* 466.

Virgo Dei egregia,
Pro nobis Apollonia,
Funde preces ad Dominum,
Ut tollat omne noxium:
Ne pro reatu criminum,
Morbo vexemur dentium,
Sed sanitate capitis,
Gratulemur, et corporis.

℣. Ora pro nobis beata Apollonia.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

Deus, pro cujus honore beata Apollonia Virgine, et Martyre maxillarum contusionem, et horribilem dentium excussionem sustinuit: praesta, quaesumus, ut qui ejus memoriam pia devotione frequentant, a tetro dentium dolore immunes custodias: et post hujus vitae aerumnas ad beatae patriae gaudia perducas. Per Christum, etc.

Si est aliqua Reliquia S. Apollonia, signat infirmum dicens:

Per intercessionem Beatae Apolloniae, secundum suam piissimam misericordiam, liberet te Deus a praesenti infirmitate, et ab omnibus malis mentis, et corporis. In nomine Patris +, et Filii +, et Spiritus + sancti. Amen.

Deinde aspergatur aqua benedicta dicens:
Benedictio Dei Omnipotentis, Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti descendat super te, et maneat semper, Amen.

§ XXIV: *Benedictio pro illis, qui oculis laborant intercessionem S. Luciae Virginis et Martyris implorantes.*

Psalmus 19. Exaudiat te Dominus, etc. *ut supra pag. 464.*

Antiph. In patientia tua possedisti, animam tuam, Lucia sponsa Christi: odisti, quae in mundo sunt, et coruscas cum Angelis: sanguine proprio inimicum vicisti.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Marcum.
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis, etc. *ut supra pag. 467. in fine dicitur:*
℟. Laus tibi Christe.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster, etc.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. *Salvum* fac *famulum tuum.*
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte *ei* Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere *eum.*
℣. Nihil proficiat inimicus in *eo.*
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere *ei.*
℣. Benedic anima mea Domino.
℟. Qui sanat omnes infirmitates tuas.

℣. Domine exaudi, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe, Filii Dei vivi dulcissime, humiliter te obsecro, ut per merita tuae acerbissimae passionis, per intercessionem beatae Mariae Virginis Matris tuae, et per advocationem beatae Luciae Virginis et Martyris, hunc famulum tuum, (*vel hanc famulam tuam*) eorum suffragia postulantem, ab omni aegritudine mentis et corporis clementer eripere digneris. Qui vivis, etc.

Si ad sit Reliquia: S. Luciae signat aegrotum dicens :

Per intercessionem Beatae Luciae, secundum suam piissimam misericordiam, liberet te Deus a praesenti infirmitate, et ab omnibus malis mentis et corporis. In nomine Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen.

Deinde aspergatur aqua benedicta dicens :

Benedictio Dei Omnipotentis, Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti descendat super te, et maneat semper. Amen.

§ XXV. *Benedictio S. Emygdii contra Terraemotus.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Sit nomem Domini benedictum, etc.

Benedicat tibi Dominus ✠ et custodiat te. Ostendat faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat vultum suum ad te, et det tibi pacem, et sanitatem. Dominus benedicat ✠ domum hanc, et omnes habitantes in ea, ac liberet ab impeti terraemotus, in nomine, et virtute Jesu. Amen.

Antiphona. Beatus Emygdius spiritus oris sui idolorum cultum, ac templa evertit, quos Christo in fide genuit ipse fideliter servavit : ac tandem ab-

scisso capite insigne complevit certamen, et pretioso sanguine suum decoravit triumphum.

OREMUS

Omnipotens, et misericors Deus, qui ad evertendam idolorum impietatem Sancti Emygdii Martyris tui, atque Pontificis intercessione terram tremere, et ad confirmandam Christianorum Fidem, terram quiescere voluisti: da nobis quaesumus, ut ejus nomen fidelissime recolentes, flagello terraemotus ipsius mira virtute liberemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Pater noster, *Ave Maria*, *et Credo.*

I. N. R. J.

Jesus Nazarenus ✠ Rex Judaeorum. Christus ✠ nobiscum state. Sanctus Deus ✠ Sanctus Fortis ✠ Sanctus et Immortalis ✠ Miserere nobis. Christus vincit ✠ Christus regnat ✠ Christus imperat ✠ Christus ab omni malo, et a flagello terraemotus liberet nos. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti Amen.



Sancte Emygdi, ora pro nobis, et defende nos ab impetu terraemotus in nomine Jesu Christi Nazareni. Amen.

Deinde dicitur ter Gloria Patri.

§ XXVI. *Oratio pro podagra, vel chiragra laborantibus ad gratiam obtinendam a Domino per intercessionem S. Trophimi Episc. Arelatensis discipuli S. Pauli Ap.* (*)

(*) De hoc Sancto loquitur Apostolus II. ad Tim. IV. 20. *Trophimum reliqui infirmum Mileti.* Et de eodem fit mentio Act. c. XX. 4. et XXI. 29. Ejus festum celebratur die 29 Decembris.

ANTIPHONA

Sancte Trophime Christi Confessor, atque Pontifex, fulgens virtutibus, ad Deum funde preces pro te invocantibus, ne vexemur morbo podagrae, et chiragrae nostris pro reatibus, sed sani, et incolumes vivere valeamus in hac vita tuis intercessionibus; et post hujus vitae terminum tecum in coelestibus collocari mereamur supernis sedibus.

℣. Ora pro nobis Sancte Trophime.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

Omnipotens aeterne Deus, qui ad preces Sancti Trophimi Confessoris tui, atque Pontificis erigis elisos, atque ab omni dolore podagrae, et chiragrae reddis liberos, et salvos; concede nobis peccatoribus, ut non secundum iniquitates nostras retribuas nobis, sed ejus meritis, et intercessione, ab omni vexatione podagrae, et chiragrae, et ab omnibus malis liberemur.

Concede nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere; et gloriosa Beatae Mariae semper virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Ne despicias, omnipotens Deus, famulum tuum in necessitate clamantem: sed propter gloriam nominis tui, tribulato succurre placatus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde dicantur 5 Pater, Ave, *et* Gloria, *ac ter* Gloria *SS. Trinitati.*

§ XXVII. *Oratio ad opem obtinendam a Domino infirmis podagra, vel chiragra laborantibus per intercessionem S. Onuphrii.*

Virtus salutis nostrae Jesus, qui videns socrum Simonis jacentem, et febricitantem tetigit manum ejus, et dimisit eam febris; quique exaudire dignatus est Sancti Onuphrii Regis Persarum filii auxilium petentes, creaturam suam morbo detentam ipsum invocantem, et Beatissimae Virginis, et Sancti Onuphrii auxilium implorantem, liberare dignetur.

Antiphona. Pater Sancte per Deum excelsum te rogamus, per quem tuam carnem macerasti; esto memor nostri in requie, quae data est tibi a Christo Domino.

℣. Vocasti Domine servum tuum in solitudinem.

℟. Et in columna ignis dux illi fuisti.

OREMUS

Deus qui per gratiam Sancti Spiritus vitam eremiticam fidelibus tuis ostendere voluisti, quibus etiam Beatus Onuphrius numero, et merito se conjungere meruit: tribue quaesumus ut sicut ille pro tui Nominis amore eremi cultor extitit, ita apud Te sit pro nobis perpetuus suffragator. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

§ XXVIII. *Oratio contra Vermes.*

Super aspidem, et basiliscum ambulabis ✝, et conculcabis leonem ✝, et draconem ✝. In virtute Domini nostri Jesu Christi, et beati Job,

qui habuit vermes, et gratia Dei mortui sunt; ita moriuntur in corpore famuli tui *N.* Conjuro vos vermes † hi qui sunt in massa, convertantur in aquam. In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus†sancti. Amen.

Ter Gloria Patri *ad B. Job.*

§ XXIX. *Benedictio pro Pueris infirmis.*

† In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen,

Pater noster, Ave Maria, etc.

Antiphona. Ex ore infantium.

Psalmus 112. Laudate pueri Dominum, etc.

Repetit. Antiph. Ex ore infantium et lactentium Deus perfecisti laudem propter inimicos tuos.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

✠ Sequentia S. Evangelii secundum Matthaeum.

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas, major est in regno coelorum? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno coelorum. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo,

me suscipit. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Vae mundo a scandalis. Necesse est enim, ut veniant scandala: verumtamen vae homini illi, per quem scandalum venit.

℣. Laus tibi Christe.

Per Evangelica dicta ✝ confundatur; ✝ deleatur ✝, extinguatur ✝, dissipetur ✝, destruatur omnis malitia diabolica. Amen.

Kyrie eleison Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Sinite parvulos venire ad me.

℟. Talium est enim regnum coelorum.

℣. Domine exaudi, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Dulcissime Domine Jesu Christe, qui ob multitudinem miserationum tuarum, ut salvum faceres genus humanum, de coelo ad terram descendisti: te supplices deprecamur; ut per gloriosam Nativitatem tuam, per baptismum, et sanctum jejunium tuum, per crucem, et passionem tuam, per mortem, et sepulturam tuam, per sanctam resurrectionem tuam, et admirabilem ascensionem tuam, super hunc puerum famulum tuum infirmum (*vel* hanc famulam tuam infirmam) rorem tuae benedictionis infundas,

atque eum (*vel eam* a qua detinetur infirmitate, liberes, et ab omni malo protegas, et defendas. Amen.

Antiphona. Sub tuum praesidium confugimus sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris: sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa, et benedicta.

OREMUS

Concede nos famulus tuus, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere; et gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Post Orat. dicitur: Benedictio Dei Omnipotentis, Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus✝sancti, descendat super te, et maneat semper. Amen.

Si habet Reliquiam signatur.

§ XXX. *Benedictio Aquae pro Infirmis S. Vincentii a Paulo Confessoris.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

Benedico te, creatura aquae, in nomine Dei✝ Patris omnipotentis, et in nomine Jesu ✝ Christi filii ejus Domini nostri, et in virtute sancti✝Spiritus ut ad invocationem Sancti Vincentii a Paulo fias aqua salutaris ad sanandos morbos, ad effugandam omnem potestatem inimi-

ci : et ipsum inimicum eradicare, et explantare valeas cum angelis suis apostaticis. Per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi : Qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS

Deus, qui ad salutem humani generis maxima quaeque sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto propitius invocationibus nostris : et elemento huic aquae, virtutem tuae bene ✝ dictionis infunde : ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos daemones, morbosque pellendos divinae gratiae sumat effectum : ut ad tui Sancti Nominis, et Sancti Vincentii a Paulo invocationem, aegrotum sanet, infirmum consolidet, dejectum erigat, immundum purificet : et quisquis ex ea biberit, vel ex ea aspersus fuerit, careat omni immunditia, liberetur a noxa, et ab omnibus sit inimici impugnationibus defensus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde accipiat Reliquiam, *vel* Imaginem *S. Vincentii a Paulo, immittat in aquam, et dicat:*

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus invictae virtutis auctor, et insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator : te, Domine, trementes, et supplices deprecamur, ac petimus, ut meritis S. Vincentii a Paulo, cujus Imaginem (*vel* Reliquiam) hic

veneramur, hanc creaturam aquae dignanter aspicias; benignus illustres, pietatis tuae rore santifices, ut fiat omnibus salus mentis, et corporis in nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ sancti. Amen.

OREMUS

Deus, qui ad evangelizandum pauperibus, derelictorum, infirmorumque miserias sublevandas, et Ecclesiastici Ordinis decorem promovendum, Filii tui Spiritum in apostolica Sancti Vincentii a Paulo charitate, et humilitate suscitasti; ejus nobis intercessione concede, ut a peccatorum miseriis sublevati, eadem tibi semper charitate, et humilitate placeamus. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

§ XXXI. *Benedictio Vestium S. Cyri.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Sit nomen Domini benedictum, etc.
℣. Domine exaudi orationem meam, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui spolia nostrae mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam largitatis tuae abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod Sanctus Cyrus ad humilitatis indicium ferre voluit, ita bene✝dicere digneris, ut hic famulus tuus (*vel* haec famula tua) illis indutus (*vel* induta) corporis pariter, ac animae puritatem percipere mereatur. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos aqua benedicta aspergat habitum ac personam recipientem, et dum illud imponat, dicat:

Accipe, charissime Frater (*vel* charissima Soror) habitum Beati Cyri Martyris, ut ita indutus (*vel* induta) sub ejus patrocinio perpetuo vivas.

Benedictio Dei omnipotentis ✝ Patris, et Filii, et Spiritus sancti descendat super te, et maneat semper. Amen.

OREMUS

Praesta, quaesumus omnipotens Deus: ut intercedente beato Cyro Martyre tuo, et a cunctis adversitatibus liberemur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum, etc.

§ XXXII. *Benedictio Aquae, vel Olei S. Cyri.*

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℟. Sit nomen Domini benedictum, etc.
℣. Domine exaudi orationem meam, etc.
℟. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Bene✝dic Domine, hanc creaturam aquae (*vel* olei) ut sit remedium salutare generi humano: et praesta per invocationem Sancti Nominis tui, et per intercessionem Sancti Cyri Martyris tui, ut quicumque ex ea sumpserint (*vel* quicumque illo usi fuerint) corporis sanitatem, et animae tutelam percipiant. Per Christum, etc.

Deinde Sacerdos ponat Reliquiam, aut Imaginem S. Cyri in aqua, vel oleo, et dicto ter Gloria Patri, *prosequitur :*

Antiphona. Te, Cyre, Medicum, et Eremitam, te laudamus Martyrem; aufer languores, auge fervorem, da nobis tecum vivere, da salutem corpori, da puritatem animae.

℣. Ora pro nobis Sancte Cyre.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Praesta, quaesumus omnipotens Deus, etc. *ut supra.* 479.

§ XXXIII. *Benedictio Infirmorum cum Reliquia, vel Oleo, vel Aqua, vel Imagine S. Cyri.*

Dicto ter Pater noster, Ave Maria, *et* Gloria Patri, *Sacerdos subjungat :*

Antiphona. Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem toto corde, et ore confitemur, laudamus, atque benedicimus, tibi gloria in saecula.

℣. Benedictus es Domine, in firmamento coeli.

℟. Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in saecula.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare Unitatem : quaesumus, ut ejusdem

fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Antiphona. Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat super firmam petram.

℣. Gloria et honore coronasti eum Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Oremus. Praesta quaesumus omnipotens Deus, etc. *ut supra.* 479.

Signando autem infirmum cum Reliquia, vel Oleo, vel Aqua, vel Imagine S. Cyri, dicat:

Potentia Dei Patris, Sapientia Dei Filii, Virtus Spiritus sancti, per merita pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi Crucifixi, et Beatissimae Virginis Mariae Matris suae; et per intercessionem Sancti Cyri Martyris liberet te a malo, quo laboras, ut possis Dominum Deum tuum laudare, eique gratias in Ecclesia sua sancta referre. In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus✝sancti. Amen.

§ XXXIV. *Formula dandi absolutionem generalem, et benedictione Pontificiam Christi fidelibus utriusque sexus, in diebus praescriptis juxta Bullas Benedicti XIV., et Clementis XIII., in omnibus Ecclesiis Ordinis Eremitarum S. Augustini.*

Sacerdos superpelliceo, et stola tantum indutus, postquam populum ad contritionem suorum pec-

catorum disposuerit, *et recitato ab eodem* Confiteor etc. *dicat :*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.
℣. Salvum fac populum tuum, Domine.
℟. Et benedic haereditati tuae.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Omnipotens, et misericors Deus, da nobis auxilium de Sancto, et vota populi hujus in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque benedictionem praestolantis, et gratiam clementer exaudi; dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem divinae benedictionis effunde: qua bonis omnibus cumulatus felicitatem, et vitam consequatur aeternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, ✠ et Spiritus sanctus. Amen.

Aspergatur populus aqua benedicta.

§ XXXV. *Forma absolutionis plenariae dandae in articulo mortis fidelibus centuratis Ordinis Eremitarum S. Augustini.*

Sacerdos habens ad collum stolam violaceam benedicat aegrotum, cubiculum, et circumstantes aqua benedicta dicens:

Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea. Asperges me, etc. Miserere mei, etc.

Gloria Patri etc. Asperges me, etc.

℣. Adjutorium nostrum, etc.

℣. Domine exaudi, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de caelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Parato ad contritionem suorum peccatorum aegroto, dicatur Confiteor etc. Misereatur etc. Indulgentiam etc.

Dominus noster Jesus Christus per suam piissimam misericordiam te absolvat, et ego auctoritate ipsius, et Beatissimorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Sanctae Romanae Ecclesiae in hac parte tibi a Summis Romanis Pontificibus concessa, et mihi commissa, in quantum possum, et valeo, et debeo, et mihi permittitur, absolvo te ab omni sententia Excommunicationis majoris, vel minoris (Suspensionis), et Interdicti, a participatione cum excommunicatis, et restituo te Sacramentis Ecclesiae, communioni, et unitati Fidelium. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti. Amen.

Eadem auctoritate ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis confessis pariter, et oblitis, et a poenis omnibus tibi in Purgatorio debitis propter culpas, et offensas, quas contra Deum, teipsum, et proximum tuum commisisti. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠ sancti. Amen.

Deinde Sacerdos aegrotum hortetur conformari se Dei voluntati, et nomen Jesu invocare.

§ XXXVI. *Oratio pro infirmis ad petendum auxilium a Domino per intercessionem S. Anastasiae Virginis et Martyris* (*).

Antiphona. Tamquam Sponsa Christi coronam, quam tibi Dominus tuis meritis praeparavit in aeternum jam gaudens accepisti; ideo diffusa est gratia in labiis tuis, et exaudita est deprecatio tua: tuo nos confidimus patrocinio liberari.

℣. Ora pro nobis Sancta Anastasia.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

Deus qui beatam Anastasiam Virginem, et Martyrem tuam in suis perferendis suppliciis, ac in aliorum depellendis infirmitatibus admirabilem effecisti: concede propitius ut illius et in fide constantiam imitemur, et in periculis patrocinia sentiamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

§ XXXVII. *Oratio pro obtinenda morte justorum a Domino per intercessionem S. Benedicti Abbatis*.

Antiphona. Stans in Oratorio dilectus Domini Benedictus, corpore, et sanguine Dominico muni-

(*) Ejus festum celebratur die 28. Octobris.
Imago veneratur in Eccl. Paroch. S. Ioan; ad Carbonariam.

tus, inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans; erectis in coelum manibus, inter verba orationis spiritum, efflavit: qui per viam stratam palliis, et innumeris coruscam lampadibus, coelum ascendere visus est.

℣. Gloriosus apparuisti in conspectu Domini.

℟. Propterea decorem induit te Dominus.

OREMUS

Deus qui praetiosam mortem Sancti Patris Benedicti tot, tantisque privilegiis decorasti: concede quaesumus nobis famulis tuis, ut cujus memoriam recolimus, ejus in obitu nostro beata praesentia, ab hostium muniamur insidiis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

§ XXXVIII. *Oratio ad petendum auxilium a Domino, et solatium dolore capitis laborantibus per intercessionem S. Aspreni Episcopi.*

Antiphona. Beate Asprene, qui per Sanctum Petrum Apostolorum Principem corporis sanitatem, et Fidei lumen recepisti; sicut per eum Baptismatis gratiam, et Pastoris nostri munus suscepisti, ita nobis tuum auxilium implorantibus succurrere non desinas, sed Fidei augmentum, bonorum operum abundantiam, et capitis incolumitatem a Domino nobis impetra, et omnis boni salutaris effectum.

℣. Ora pro nobis Sancte Asprene.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

Domine Jesu Christe infirmitatis nostrae solatium, et salus, qui in Passione tua caput tuum sacratissimum spinis coronari, et arundine percuti permisisti; tuorum dolorum meritis, et intercessione Sancti Aspreni Antistitis, quem a te gloria, et honore coronatum, et apud te pro nobis advocatum agnoscimus: concede tuae miserationis effectum, ne iniquitates nostrae in caput nostrum ascendant; et exaudi preces famuli tui dolore moerentis, ne amplius dolor iste convertatur in caput ejus, sed libera tibi mente, et corpore, laetus serviendo, augmenta gratiarum capiti suo, et coronam virtutum aeternam acquirere mereatur. Qui vivis et regnas, etc.

Pater, Ave, et Credo..

§ XXXIX. *Oratio pro gutturis infirmitate laborantibus ad petendam gratiam a Domino per intercessionem S. Blasii Episcopi, et Martyris.*

Antiphona. Omnes Sancti Dominum benedicant; exaltationes Dei in faucibus eorum, exaudiat Deus preces servorum suorum, et illum laudent omnes qui in tribulationibus suis invocant nomen ejus.

℣. Ora pro nobis Beati Blasii.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

Deus, qui beatum Blasium Martyrem tuum, atque Pontificem in suis perferendis suppliciis, et

in aliorum depellendis infirmitatibus admirabilem effecisti: concede propitius; ut illius et in fide constantiam imitemur, et in periculis gutturis patrocinia sentiamus. Per Christum ec.

§ XL. *Oratio ad Dominum pro vitanda subitanea, et improvisa morte intercessione S. Andreae Avellini Confessoris.*

Antiphona. Emendemus in melius quae ignoranter peccavimus; ne subito praeoccupati die mortis, quaeramus spatium poenitentiae, et invenire non possimus.

℣. Per intercessionem S. Andreae Avellini apopletico morbo correpti.

℟. A subitanea, et improvisa morte libera nos Domine.

OREMUS.

Deus qui Beautm Andream, de Altaris ministerio, in sempiternae gloriae tuae sanctuarium, per apopleticum morbum, piissime suscepisti; da nobis ejus meritis et intercessione, ut ab ejusdem morbi periculo liberati, et sacris mysteriis praemuniti, in aeterna Sanctorum tuorum tabernacula recipi feliciter mereamur. Per Christum, etc.

§ XLI. *Oratio ad petendam gratiam a Domino per intercessionem S. Philippi Nerii, pie sancteque moriendi.*

O morientium filiorum tuorum fidelissime adjutor, Sancte Philippe, esto mihi Pater et Pa-

tronus in hora mortis meae; non me vincat diabolus, non me opprimat tentatio, non me absorbeat timor in illa hora; sed fac tua intercessione, ut fide, spe, et charitate munitus, patienter, et perseveranter omnia sustineam, et morte Sanctorum feliciter moriar. Amen.

℣. Ora pro nobis S. Philippe.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

Deus innocentiae restitutor, et amator dirige ad te tuorum corda servorum et Beati Philippi Confessoris tui intercessione concede; ut spiritus tui fervore concepto in hora exitus nostri in fide inveniamur stabiles, in spe firmati, et in charitate ardentes. Per Christum, etc.

§ XLII. *Oratio S. Vincentii Ferreri, qua utebatur Beatus Ludovicus Bertrandus pro Infirmis.*

Super aegros manus imponent, et bene habebunt: Jesus Mariae Filius, mundi salus, et Dominus, qui te traxit ad fidem catholicam, te in ea conservet, et beatum faciat: et meritis Beatae Virginis Mariae, et Beati Dominici Patris nostri, et Beati Vincentii, et omnium Sanctorum te ab hac infirmitate liberare dignetur.

Postea dicat: Initium S. Evangelii secundum Joannem. In principio erat Verbum, *usque ad finem*; (pag. 435) *vel Evangelium S. Marci* Recumbentibus, etc. (pag. 467.)

Deinde subjungat.

Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat: intra te sit, ut te conservet: ante te sit, ut te deducat: post te sit, ut te custodiat: super te sit, ut te benedicat. Qui cum Patre, et Spiritu sancto in unitate perfecta vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Benedictio Dei Omnipotentis Pa†tris et Fi†lii, et Spiritus † sancti descendat super te, et maneat semper. Amen.

Nota Editor. Ubi de aliquibus facultatibus *Sacerdotibus nostris* concessis loquimur praesertim pag. 452, nota 1 et pag. 454. et 457. intelligimus Sacerdotes sodales Congregationis S. Mariae in Coelum Assumptae Neapoli erectae.

FINIS.

INDEX RERUM



C

Conjurationes variae.

E

Exorcismi varii.

De Benedictionibus adjunctis.

FINIS.



